11,320/B

B. xxiv. Van

By P. F. Arpe

C. g. 6 (53
V° Vaum

Boissonade

APOLOGIA

PRO

JUL. CÆSARE VANINO,

NEAPOLITANO.



COSMOPOLI,

TYPIS PHILALETHEIS.

MDCCXII.

M. T. Cicero,

lib. 1. Epiſt. 1. ad Quint. fratrem.

Ut quisque est Vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EPISTOLA DEDICATORIA

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMOQUE,

F. à F R.

S. P. D.

A.

P*Lurimis, qui ad ſcribendum animum advertunt, multæ ſolent eſſe ſcribendi cauſæ; mihi ferè nulla, niſi* veritas & ingenuus candor. *Illi in iis recenſendis operosè laborant; ipſe minus, me ſatis dixiſſe credens, hoc quodcunque fuerit, Tuo juſſu animum ingenuum protuliſſe. Hoc mihi* prora & puppis: *Tu mihi Dux & autor es; ingenuitas ſuppeditavit vires oneri quidem inferiores. Sed valeat in his* Ovidii *illud:* *

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.
Hâc ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cæſo non minus agna bove.

Suſcipe hac mente tenue hoc munuſculum, qui aliquid noſtras putare ſoles nugas, & ex parte Tuum judica, qui currenti calcar addidiſti. Quoties enim jucundâ memoriâ beatum illud tempus repeto, quo me Tuis amplexibus dignari voluiſti, non poſſum non exſultans iterare:

Proveniant medii ſic mihi ſæpè dies. †

Quid memorem ingenium Tuum excellens, ſummam doctrinam, peritiam non vulgarem Reipublicæ, juris bonique

* Ovid. libr. 3. de Ponto, Eleg. 4.
† Ovid. libr. 1. Amor. Eleg. 5.

longâ utiliſſimâque peregrinatione comparatam, graviora hæc ſemper gratioraque in Te commendant, natalium ſplendor, at magis incredibilis humanitas Tua. Me hîc blandiri nemo dicet, qui Te & me noverit, cùm & Tuis laudibus impar, & ingenio ab adulatione longè ſim alieniſſimo. Omnium ſcientiarum circularem quaſi eruditionem ingenio amplo complexus, tantum in dicendo valebas, ut laſſatus interdum, hoſpes tuus per totum diem ſubruſticus, nunquam exſatiatus diſceſſerim. Sic, VIR OPTIME, *modò Te Muſis operantem videre, modò in inſtructiſſima Bibliotheca, cujus anima & decus es, bellè de variis rebus diſſerentem audire fauſtè contigit.*

Cùm (ut rectè nôſti) fortè VANINI, *Itali, ſuſpectus liber* de Arcanis Naturæ *in manus incideret, Tuque communi ſenſu* Atheum *diceres, atroque notares lapillo, ſummorum Virorum Tecum ſentientium nomina ſubjungendo, fidem tantis nominibus debitam extorquebas. Ne tamen, ſi ea rurſus aſſererem, objiceret quiſpiam, me* VANINUM *vix vidiſſe, nedum legiſſe; Te benigniſſimè annuente librum illius mecum tuli, & cùm aliis contuli: quibus in eo* monſtra profana, portenta immunda, ambigua hominis an belluæ forma, *viſa ſunt, ſeu potiùs* ex metu *credita.*

Sed accuratiùs inſpicienti diſparuit phantaſma, lætior rediit facies, & mitiores de VANINO *ſubortæ cogitationes, cùm vix quiſquam inficias ire poſſit:* Poſtquam occiderant, Hiſtoriam ejus recentibus odiis eſſe compoſitam. * *Deferens autem ad Tuum tribunal,* VIR CLARISSIME, *quæ cogitaram, ſententiam ferre noluiſti, antequam cogitationes meas literis mandaſſem. Mandavi igitur Tuâ autoritate, & humiles illas nænias, cum ſummæ devotionis ſigno jam ſubmiſsè offero. Suſcipe autem ſerenâ fronte, & quæ publicam lucem jam aſpicient, luce Tuâ ne dedigneris.*

A TE PRINCIPIUM; TIBI DESINET.

* Tacit. Annal. lib. I. cap. I. n. 6. Hiſtor. lib. I. cap. I. n. 3.

JUL. CÆSAR VANINUS AB *ATHEISMO* VINDICATUS.

OPus aggredior vaſtum, non mole operis, ſed dignitate materiæ & latentis veritatis cultu. *Res arduà vetuſtis novitatem dare, novis autoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem.* *

VANINI, Itali Philoſophi, exiſtimatio famaque per centum ferè annos inuſtâ ſceleris nefandi maculâ laboravit. Et laboraret, credo, apud poſteros, niſi Tuo juſſu eam defendere & ab infamia liberare auſus fuiſſem. Cujus quidem conſilii rationes ſolitâ animi tranquillitate, en accipe.

* *Plin. lib.* 1. *Hiſt. Natur.*

VITA ET PARENTES.

JULIUM CÆSAREM VANINUM,* quem alii *Lucilium* †, *Luciolum* ‡, *Lucium* ⊥, nec non *Pompejum* β vocant, Italia genuit; Hiſpania, Germania, Anglia, Belgiumque vidit, Gallia coluit, & rogum ſtruxit. In Tauriſano oppido regni Neapolis, quod Duci ejuſdem nominis paret, lucem aſpexit primam. Patre *Joanne Baptiſtâ* VANINO, qui comitatus cujuſdam Ducis ſui gubernaculum ſingulari fide prudentiâque per multos annos rexit. γ In quo tantus mentis vigor erat, ut moribundus à lecto ſe proriperet, *Non decet*, inquiens, *me niſi ſtantem mori*. δ Matrem ei natura dedit, *Beatricem Lopez de* NOGUERA, ζ ex illuſtriſſima familia ϑ fœminam; Fortuna *novercam Romam*, caput olim terræ, in cujus gremio literarum rudimentis imbutus Philoſophiæ & Theologiæ incubuit magnâ ſpe ϰ, ductu

* *In Titulis Libror.*

† *Gramond. lib.* 3. *Hiſt. Gall in fine. Garaſſe, Doctrine curieuſe*, *quem* Bayle *ſequitur in Diction. Hiſtor. edit.* 2. *pag.* 1018. *col.* 2. *Paſchaſius*, *cui titulus*, Anti-Garaſſe, *pag.* 30. 823.

‡ *Jo. Cluver. in Epitom. Hiſtor. Mundi.*

⊥ *Garaſſe*, *dans ſa Doctrine curieuſe*, *lib.* 8. *p.* 1024.

β *Zeiler in Topograph. Gall. in deſcript.* Toloſæ.

γ *Vanin. in Præfat. Amphitheatri.*

δ *Vanin. Exerc.* 27. *pag.* 153. *Amphith.*

ζ *Vanin. Exerc.* 8. *pag.* 71. *Amphith.*

ϑ *Vanin. Dial.* 60. *pag.* 493. *de Nat. Arc.*

ϰ *Gramond. lib.* 3. *Hiſt. Gall.*

PRÆCEPTORES ET STUDIORUM GENUS.

ductu *Bartholomæi Argoti*, * Carmelitæ, Præceptoris ſui, quem *Virum optimum & ſapientiſſimum*, & in Concionibus *ſeculi Phœnicem* deprædicat. Juriſprudentiæ poſteà ac Theologiæ ſtudiis in Parthenopæo & Patavino Circo decurſis, reliqua ferè omnia literarum exercitationum per totum Europæum orbem erecta Theatra, Amphitheatra, Circoſque duxit frequentandos. Quo labore licet corpus quidem infirmitatibus morbiſque fuerit exhauſtum, & enervatum, animus tamen in ſupremæ, & vulgò philoſophizantibus incognitæ Philoſophiæ Arcanis inveſtigandis validior factus & robuſtior, † ut ultra vulgum ſapere videretur. Pro Theologo audiri amabat, at Medicum ſapiebat magis quàm Theologum. ‡ Nam cùm naturam ſcrutaretur, & ſedulus Medicus, & cùm aſtra, Aſtronomus ſolers erat, legumque ſcientiâ nomen commendabat ſuum. Philoſophiæ verò Placitis delinitus nunquam non ſine ambitioſa laudis commemoratione *Ariſtotelis* meminiſſe poterat. Hic ei *Philoſophorum Deus*, *humanæ ſapientiæ Dictator*, *Sapientum Pontifex Maximus*; ⊥ hunc mente, oculis, manibuſque ferebat, huic ſe planè dederat. Imprudens mercator,

* *Vanin. Dial.* 30. *pag.* 205. *de Arc. Nat.*

† *Vanin. in Præfat. Amphith.*

‡ *Gramond. loc. cit.*

⊥ *Vanin. Dial.* 2. *de Arc. Nat.*

qui *Pomponatii* magni Peripatetici,* Præceptoris ſui exemplo nec cautius mercari didicit. Hunc enim audiverat tantâ nominis celebritate Patavii profitentem, ut *Averroïs* animam in eo commigraſſe crediſſent *Pythagoræi.* † Ipſe verò VANINUS tanto addiſcendi ardore flagrabat, ut parvulâ contentus togulâ hiberna frigora perfringeret. ‡

Minimè itaque quàm malè non ſolùm ille, ſed & *Cajetanus*, ejus Præceptor, ⊥ quibuſdam Theologis, audiret, quas inſidias cucullati Monachi capiti famæque ejus ſtruxiſſent, β ignorabat. Nihilo tamen ſecius faſcino quaſi correptus, omnes aditus in Peripato ſcrutabatur, duce *Averroë*, in cujus verba jurare eum *Joannes Bacconius*, Averroïſtarum Princeps meritiſſimus, olim Præceptor coëgerat. γ Et bellè ei omnia, ut erat ingenio non parvo, inſcio quid ageret, quo Euripo abriperetur, ſuccedebant: *Ariſtotelis* problemata gratiſſima Eccleſiæ credens, cùm illis non ſolùm omnia ſubſellia ſtrepere, ſed & ejus moralem Philoſophiam olim populo pro concione propoſitam

* *Petitus de Sybilla, lib.* 1. *c.* 13.
† *Vanin. Exerc.* 6. *pag.* 36. *Amphith.*
‡ *Vanin. Dial.* 49. *pag.* 351. *de Arc. Nat.*
⊥ *Patiniana, pag.* 119.
β *Jovius in Elog. Pomponat. inter claror. Viror. Elog.*
γ *Vanin. Exerc.* 4. *pag.* 17. *Amphith.*

poſitam cognoſceret. Ita quantò certiores aliqui ſuorum de ſalute *Ariſtotelis*, * tantò & ipſe certior de ſalute ſua erat.

Jamque ad illius ætatis florem pervenerat, quo honores aucupari, & emenſi laboris fructus colligere decet, cùm neſcio quo fato, quod arcanæ eruditionis alumnis quaſi nativum eſt, adverſa fortuna conflictari cœpit. Non ſolùm enim Præceptoris *Pomponatii* nomen, magnam ei Cleri invidiam concitabat; ſed etiam ipſe, *tricas Scholaſticorum, leves argumentorum ſtructuras Chryſippea retia in arduis abſtruſiſque difficultatibus* † excutiens, iis minimè ſe probabat. Erant tamen, qui & ſuſciperent, & perſpicax ingenium & non vulgarem ſcientiam foverent. In quibus Cardinalis *Robertus Ubaldinus*, Epiſcopus Politianus, ad Chriſtianiſſimum Regem Apoſtolicæ Sedis Nuncius, omnes libros pervolutandi facultatem dedit, ‡ ut *Hiſtoriam Concilii Tridentini* ſcriberet. ⊥ Arduum opus & magnum, quod non niſi ſummo Viro credere decebat.

Vaninus demerendi Cleri occaſionem nactus libris XVIII. pro SS. Occu- Scripta.

 menico

* *Magiſtri Colonienſes apud Agrippam de Van. Scient. cap.* 54. *Fortun. Licetus de Pietate Ariſtotelis*, *Utini* 1645. in 4.

† *Vanin. Dial.* 1. *pag.* 2. *de Arc. Nat.*

‡ *Vanin. Exerc.* 8. *in fin. Amphith.*

⊥ *Vanin. Exerc.* 16. *pag.* 105. & 109. *Amphith.*

menico Concilio Tridentino *adverſus hæreſes* pugnavit, * & *Apologiam pro Moſaicæ & Chriſtianæ Legis veritate adverſus Phyſicos, Aſtronomos, & Politicos* † vulgavit.

Neque verò indefeſſa hujus Viri diligentia in his ſubſtitit; ſed omnes Philoſophiæ partes Commentariis illuſtrare aggreſſa eſt. Quorum quoſdam affectatos in animo habuit, quoſdam ad umbilicum perduxit. Prioris generis ſunt *de Animæ Immortalitate*, ‡ & pars altera *Amphitheatri de Fato Stoïco.* ⊥ In reliquis prima ei *Ariſtotelis* cura fuit, in cujus libros *de Generatione* β & *de Meteoris* γ ſcripſit. In *Philoſophia Morum* de *vera ſapientia* δ, & *contemnenda Gloria* ζ ingenium exercuit: in Contemplatione Naturæ *phyſicos Commentarios* ϑ compoſuit, quorum Compendium eſt, quod habemus de *Arcanis Naturæ*. Præterea *Phyſico-magicum*, ϰ ſive *Phyſici-*

* *Vanin. in Præfat. Amphith.*
† *Vanin. Exerc.* 8 *pag.* 38. & 64.
‡ *Vanin. Dial.* 28. *pag.* 172. *de Arc. Nat.*
⊥ *Vanin. Dial.* 44. *pag.* 271. *de Arc. Nat.*
β *Vanin. Exerc.* 33. *pag.* 231. *Amphith.*
γ *Vanin. Exerc.* 50. *Amphith.*
δ *Vanin. Dial.* 51. *pag.* 369. *de Arc. Nat. Legit & habuit* Garaſſe *dans ſa* Doctrine Curieuſe.
ζ *Vanin. Dial.* 50. *pag.* 359. *de Arc. Nat.*
ϑ *Vanin. Dial.* 47. *pag.* 301. *Dialog.* 27. *pag.* 166. *Dial.* 15. *pag.* 88. *de Arcan. Nat.*
ϰ *Vanin. Exerc.* 8. *pag.* 71. & 79. *Amphith. Dial.* 39. *pag.* 252. *de Nat. Arc. Exerc.* 39. *p.* 272. *Amph.*

Phyſici - magici Metamorphoſeos libros * ſcripſit, quo nomine perperam editos inſigniunt. Sic cùm aſtra, Naturæ præpotentem partem, operam flagitare ſuam crederet, *Libri Aſtronomici* Argentorati elegantiſſimis typis excuſi ſunt, in quibus *admiranda & divina ſanè de ſideribus* enarraſſe † dicitur. Accedunt *Commentarii Medici*, ‡ & omnia *ſcripta anecdota*, quæ noſtræ ſe ſubducunt curæ. Neque enim quid in his, aut cum iis actum ſit ſcimus, ipſeque ſola nomina proferendo ſervavit.

Adeò in obſcuro Viri acta latent, & memoriam eorum abolitam miror, cùm quàm plures editos fuiſſe, ex ipſius ſcriptis non vana conjectura ſit. Tantum poteſt calumniæ virus, ut in potiſſima vitæ parte, qualis fuerit planè ignoremus! Tantum malevolorum odium, & *Henrici Silvii* †, de quo ſæpiuſculè queritur. RELIQUUM VITÆ CURRICULUM.

Varias quidem *Peregrinationes* ipſe deſcribit. *Joanni Mariæ Guinochio*, Theologo Germaniam peragranti, ſe in ſocium dedit. β Apud Belgas Amſtelodami, γ & Bruxellæ δ Atheorum inſaniam compreſſit.

* *Vanin. Exercit.* 22. *pag.* 132. *Amphith.*

† *Vanin. Dialog.* 7. *pag.* 31. *& Dial.* 16. *pag.* 91. *de de Arcan. Nat.*

‡ *Vanin. Dial.* 44. *pag.* 275. *de Arcan. Naturæ.*

⊥ *Van. Exerc.* 39. *p.* 268. *& Exerc.* 42. *p.* 285. *Amphit.*

β *Vanin. de Arcan. Dial.* 56. *pag.* 425.

γ *Vanin. de Arcan. pag.* 357.

δ *Vanin. de Arcan. pag.* 121.

ſit. Coloniæ Allobrogum * *de Prohibitis* ſe diſſeruiſſe *nuptiis* dicit. Cæterùm vix *Patinus* docuit in Aquitania eccleſiaſticum obiiſſe munus. †

Tandem in *Anglia* novus *de Propaganda Fide* emergit miles. Officium laboris periculorumque pleniſſimum, quod ipſe non ſolùm non detrectavit, ſed & Londini captus, & per XLIX. dies in latomiis tanquam in palæſtra quadam exercitatus, *pro Eccleſiæ autoritate defendenda effundendi ſanguinis deſiderio ſe accenſum & inflammatum* ‡ dicit. Ut à Deo immortali vel majus donum, aut melius contingere nullo modo potuiſſet. Non contemnendus Vates, felix ſi illa dies ultima fuiſſet, ſic forſan ſanctus vel beatus *Julius Cæſar* in Calendario compareret, niſi apotheoſin quæſtuoſum opus, paupertas dura mater prohibuiſſet. Sed duriora ei manebant fata, quæ *Genuam* reduxerunt incolumem, ubi Philoſophiam *Jacobo Auria*, illuſtriſſimo & ingenioſiſſimo admodum Adoleſcenti, ⊥ prælegit. Inde *Lugdunum* venit, nec quicquam ceſſante Clericorum odio, quod immortale ſervant. Intereà ipſe ut adverſæ fortunæ vulnera, aut perſanaret, aut

* *Vanin. de Arc. pag.* 328.
† *Patin. in Adverſ. Mſt. n.*
‡ *Vanin. Exerc.* 19. *pag.* 118. *Amphith.*
⊥ *Vanin. Exerc.* 40. *pag.* 144. *Amphith.*

aut ſaltem pacto aliquo deliniret, *divinæ Providentiæ* (cui nos & omnia noſtra ſubjecta ſunt) *myſteria* enucleare aggreſſus eſt, *non ex obſoletis quidem illis* (uti vocat) *Tullianis declamationibus*, *neque ex popularibus illis & anilibus ferè Platonicis deliriis*, *neque etiam ex putridis* Scholaſticorum *quisquiliis*, *ſed ex abditiſſimis hauſta Philoſophiæ fontibus*, *ut curioſam ſitim facilè queant explere.* * Sed quæ ab eo ſcribebantur, quò à vulgo remotiora, eò propinquiora erant calumniæ. †

Interim VANINUS Lutetiam versùs inſtituebat iter, optans ut curis laſſus inveniret requiem, ſalutiſque portum. At vix Princeps *Baſſompetræus* Eleëmoſynarium ducentorum thalerorum ſtipendio conſtituit. ‡ Quod cùm ejus ambitioni, quam meritò arguo, non ſufficeret, otio indulgens, ſe totum Philoſophiæ dabat, in ejuſque arcanis indagandis operam collocabat ſuam. Neque enim debilitatâ re familiari majorem voluptatem percipere ſe poſſe credebat, quàm ſi *Ciceronis* exemplo perditâ Republicâ ad Philoſophiam ſedulò incumberet. Ita ut memoriæ vacillanti ſuccurreret, cogitata in chartam conjiciebat, ſine ulla ſpe, ut ea lucem viderent.

* *Vanin. in Præfat. Amphith.*
† *Id. ibid.*
‡ *Patin. in Adverſ. Mſt. n.*

Cùm nihilominus ipſo inſcio intempeſtivè Typographi nimis avidi obſtetricante manu, in lucem prodit liber decantatiſſimus *de admirandis Naturæ, Reginæ Deæque mortalium, Arcanis*; Typographus enim monumenta, quæ avariùs retinebat, per idoneos Exſcriptores nactus, à duobus Viris integerrimis in capita dividere, & cuique libro titulum apponere curavit. Atque cùm hic labor ad finem accederet, illum furti illius nec manifeſti certiorem fecit, & ille lumen ſibi inſcio datum admiſit. *

Adhuc prælo ſudantem Monachi, ſuperſtitioſum genus, & qui illorum oculis plus quàm ſuis vident, Magnates ad ſe rapiunt, & fugitivo oculo luſtrant, vix aliquot pagellis perlectis, vel una illa, quæ Autoris librique nomen exhibet, damnant ut nova.

Immemores *Juliani*, laudatiſſimi Principis, niſi in Chriſtianos iniquior fuiſſet, cujus ſententiam tribus verbis legimus propoſitam, *Legi, relegi, condemnavi.* Sed, ut plurimùm, adeò inſaniunt:

Accipe nunc Danaûm inſidias, & crimine ab uno
Diſce omneis. †

Trithemii Steganographiam non diſſimili modo damnavit olim *Carolus Bovillus* Samaro-

* *In Præfat. Typographi, Operi præmiſſa.*
† *Virgil. Æneïdos lib. 2. v. 65.*

marobrunus: *Trithemii*, inquiens, *Steganographiam evolvi velitatim, nonnullorum capitum perlegens initia, vix horas duas librum in manibus habui. Abjeci enim illico, quòd terrere cœperunt me tantæ adjurationes ac tam barbara ac inſolità ſpirituum, ne fortè dicam Dæmonum nomina.* * Egregius hic Cenſor eſt, vivum ſuorum exemplar, *Catonis* æmulus, Lynceo acutior. Magno itaque numero & hujus accuſationis Anteſignani *Merſennus*, & *Voetius*, *Bellarminus*, Cardinalis, & *Franciſcus Junius* eum ſecuti ſunt.

Sed oſcitantiam eorum *Abbas à Seon* †, *Joannes Caramuel* ‡, *Tannerus* ⟂, *Guſtavus Selenus*, ſive *Auguſtus*, Dux Brunsvicenſis ϐ, *Gabriel Naudæus* γ, *Athanaſius Kircherus* δ, & *Heidel* ζ, demonſtrarunt.

Eadem fata liber VANINI habuit, eâdem horâ atra manus eum corripuit, &

* *Jo. Wierus de Præſtig. Dæmon. lib.* 2. *c.* 6. *Fromman. de Faſc. pag.* 523. *adde lepidiſſ. Agrippæ Hiſtoriam, lib.* VII. *Epiſt.* 26. Mutato nomine de te fabula narratur.

† *In Apologet. Defenſione Trithemii, Ingolſt.* 1616.

‡ *In Clavicula Salomonis, ſeu Declaratione Steganographiæ Trithemianæ, Colon.* 1635. in 4.

⟂ *In Apologet. Oratione Trithemii, Ingolſt.* 1630.

ϐ *In Cryptographia, Lunæb.* 1624. fol.

γ *In Apologia pro Viris Magiæ inſimulatis.*

δ *In Steganologia magnetica.*

ζ *In Steganographia Trithemii reſerata, Mogunt.* 1676. in 4.

& librum, ut ſolent, flammis tradidit. Nemo tamen publicè aggreſſus eſt, & nævos, quos habet, detexit, neque de revocando, ut moris eſt, egit quiſquam.

Odium Cleri. Sed muſſitabant, & pro contemptu & ira aliam in pauperculo moliebantur vindictam, cùm rebus neceſſariis ſublatis, brutum hoc fulmen brevi de nihilo futurum ſperare poterant. Neque ſucceſſu caruit votum: poſtquam togati illi milites atrorum palliorum fortalitio commeatu privaverant, * miſerum, immortalis eorum odii victima fuit. Miſer enim, cùm quò ſe verteret non haberet, nullâ ſpe refocillante vires, vix ſibi ipſi compos, (ſi credere fas eſt) literas ad Summum Pontificem deliriis plenas, medicum potiùs quàm carnificem meritas mittit. † Et infelix mittit.

Nam hi neque rident,
Nec Medici credunt, nec Curatoris egere. ‡

Inquiſitores ſpecillo quodam Hiſpanico majore contemplantes eas, ex quarumlibet literarum ductu, monſtrum ſibi quod Africa fert, atrocius imaginabantur.

Si

* *Eguit enim, ipſo teſte in Præfat. de Arcan. Nat. Dialog.* 1. *pag.* 3. *&* 4. *Dialog.* 29. *pag.* 185. *Dialog.* 50. *aliiſque locis. Patiniana, pag.* 44.

† *Patiniana, pag.* 51.

‡ *Horat. lib.* 1. *Epiſt.* 1.

Si majuſcula eſſet litera, *Herculis* clavâ eis lethalis; ſin minor, apis non ſine aculeo videbatur. Tandem docti illi interpretabantur VANINUM minitari Eccleſiæ trium menſium ſpatio ruinam, niſi Pontifex Maximus beneficio quodam, quòd fames urgebat, ſublevaſſet. Illud iis abominabile & novum crimen, hoc aures crabronum, quaſi ſuſurro maximo implebat, ac ſi Eccleſiæ veritas non firmiore niteretur fundamento, & pauperculi Philoſophi minis comminui poſſet in viam potius reducendi. Alia illis ratio & ſomnianti rogus ferrumque decernitur.

Jamque de exitio ejus certi erant, cùm modum agendi, & quo crimine accuſandus foret deliberarent.

Magiæ eum reum facere modo non planè inſolito minus commodum videbatur, cùm ipſe dubiè admodum ex *Ariſtotele* de Dæmonibus locutus fuiſſet. Verùm quòd Dæmones negaſſe non abſolvat, prompta memoria *Inquiſitionis* perſuadebat, quæ *Petrum Aponenſem* & *Cichum Eſculanum* Magiæ poſtulavit, *qui tamen nullum commercium* habuerunt cum ſpiritibus immundis, imò fortaſſis cum *Ariſtotele* crediderunt non eſſe Dæmones. * *Jamque olim* Galenus, inquit VANINUS, *cùm ex Medicinæ*

* *P. Pomponat. de Incantat. pag. 42. J. Franc. Picus de Prænot. lib. 7. cap. 7.*

dicinæ ſcientia multa perficeret, *Dæmoniacus creditus eſt. Attamen ipſe ex Philoſophorum Placitis nullos dari Dæmones cenſuit.* * Accedebat Medicinæ in Presbytero ſtudium, cui ſororis loco adhæret vera *Magia*, Aſtrologiæ denique in eo rerumque abſtruſarum notitia non vulgaris. Ac certè cogitaſſe de eo *Gramondus* † innuit, quem poſteà *Biſſelius* ‡ fabulis quibuſdam illuſtravit: *Gramondus* inquit, *capta cum ipſo ſupellex omnis, inventuſque incluſus vaſe chryſtallyno immanis inter aquas bufo, objicientibus veneficium, reſpondit ex vivo bufone, poſtquam ad ignem liquatus fuerit, malo remedium parari aliàs lethali.* Eia quàm pulchra hæc fabulæ *de bufone ſpiritu familiari* proferendæ occaſio! quàm lepidus fuiſſet *Agrippæ canis atri* ſocius! At illam arcanam machinam, qua *Henrici* de Arragonia ⊥ Marchionis *de Villena*, *Alberti Magni* β, *Antonii de Fantis*, *Joannis Trithemii*, *Rogeri Baconis*, *Raymundi Lullii*, *Arnoldi Villanovani*, *Hieronymi Cardani*, multorumque famæ iniquiores fuerant, hîc adhibere diſplice-

* *Vanin. Dial.* 57. *pag.* 432.

† *Gramond. lib.* 3. *Hiſt. Gall.*

‡ *Biſſelius Septennio* III. *rerum noſtræ ætatis ad ann.* 1619.

⊥ *Nicol. Antonius in Bibl. Hiſpan. lib.* 10. *cap.* 3.

β *Naudé*, *Apologie pour les grands hommes ſoupçonnez de Magie*, *Paris* 1625. in 12. *Paris* 1669. *Haye* 1689. *Amſterd.* 1712.

plicebat. Calumniâ ita Magiæ, *quæ facilius infamatur quàm probatur*, * rejectâ, aliâ viâ agere, Religioniſque pallii iſtius multifidi prætextu captâ perficere placuit.

Intereà inſcius ipſe quid ageretur, *Lutetiam* relinquens, *Toloſam* petiit. *Non alibi in hæreſes armantur ſeverius leges, & cùm* Calviniſtis *fides publica* Edicto Nannetico *debetur, quâ mutuò nectimur habendis ſimul commerciis, & unà adminiſtrandis rebus, nunquam ſe Toloſæ credidere Sectarii, quò fit ut una inter Galliæ urbes Toloſa immunis ſit hæreticâ labe, nemine in cive admiſſo, cujus ſuſpecta Sedi Apoſtolicæ fides, Gramondo* † judice. Cæco ita zelo ‡ cùm primi fuerint, qui cum *Dominico*, Patre Inquiſitionis, eam exercuerint, & ſtupidi volunt eſſe poſtremi. Sic Perſonis, Loco, Tempore, Inſtrumentiſque tragico Actui paratis; nihil deërat niſi ut ipſius triſti interitu crudelem explerent mentem. Cùm jam in eo eſſet, ut deprehenderetur in familia Comitis *Cremail* aſſumptuum, Ephorumque fuiſſe cujuſdam Comitis cognati, ex *Roſſetto*, *Zeilerus* ⊥ narrat. Ejuſdem fide nititur, *Bertrandum*, Parlamenti Commiſſarium, eum examinaſſe. Sed hæc lævio-

ra

* *Apulejus in Apolog.*

† *Gramond. lib. 3. Hiſtor. Gall.*

‡ *Ph. Limborch Hiſtor. Inquiſit. cap.* 10. & 16.

⊥ *Zeilerus, Hiſtor. Trag.* 26.

ra ſunt, audiamus graviſſimum *Gramondum.* *

ACCUSATIO.

Poſtulatus corruptæ per novum dogma juventutis in vincula conjicitur. Catholicum ſe Orthodoxum mentitus, (ita interpretabantur, cùm Sacramentis ſæpius in carcere uteretur) differt quàm meruerat pœnam. Jamque probatione ambiguâ dimittebatur, cùm *Franconus*, (Vir proſapiâ illuſtris, vel *uno hoc indicio vitâ probiſſimus*) negatum ſibi à *Lucilio* perſæpè Deum, dataque objicit in ludibrium Fidei arcana Chriſtianæ. Committitur reo teſtis, & ſuſtinet; ſiſtitur Senatui audiendus de more reus, rogatuſque *de* Deo *quid ſentiat?* reſpondet: *Coli ſibi in Trinitate unum, qualem adorat Eccleſia Orthodoxa,* Deum *planè convincere naturam ipſam.* Hæc dum diceret, fortuitam è terra paleam legit, manuque ad Judices protenſâ, *Hæc*, inquit, *jubet ut credam* Deum *eſſe, deinde ad* Providentiam *prolabi, ut jactum in terram ſemen, ut elanguiſſe viſum & mori, ut ex putrefacto albeſcit, ut viret & naſcitur, ut ſenſim creſcit, ut adoleſcit rore matutino, ut luxuriat infuſâ largius deſuper aquâ, ut in ariſtas armatur, prohibendis per ſpicula avibus, ut in ſtipulam erigitur, & frondeſcit, ut flaveſcit provectius, demiſſoque ut ſupercilio languet, donec moritur, ut poſtmodum trituratur, ſeparatoque ut*

* *Gramond. lib. 3. Hiſt. Gall.*

ut à palea fructu homines, paleâ vivunt animantes uſui hominum debitæ. Quòd ſi id totum fieri à Natura objicitur, regrediebatur ab hoc grano ad proximè antecedens in hunc modum: *Si id ſeminis Natura produxit, quis immediatè proximum? Si & illi debita à Natura proceſſio, quis antecedens? donec ad primum veniret, quod neceſſarium fuiſſet creatum, cùm non eſſet à quo produceretur, Naturam creationis incapacem eſſe probabat multis. Ergo Deus Creator omnium. Hæc* Lucilius, *in oſtentationem doctrinæ, aut metu magis quàm ex conſcientia*, ut *Gramondus* interpretatur. At, nonne conſcientia & impiiſſimi convincit, *Deum eſſe?*

* *Nihil eſt*, Antipho,
Quin malè narrando poſſit depravarier.

Sed redeamus: actum eſt; ad ventrem verba facit, qui caret auribus. *At enim quia probationibus planè convinciebatur ſolenni Placito, poſt exactum in lite inſtruenda ſemeſtre capitali judicio condemnatur*, dicit *Gramondus*. Ita conclamatum eſt. Hæreſeos poſtulabant & corruptæ per novum dogma juventutis, cùm ceſſante probatione ſeu ambiguâ, ut *Gramondus* loquitur, ecce! tanquam è machina prodit *Franconus.* CONDEMNATIO INJUSTA.

* *Terent. in Phorm. Act.* IV. *Sc.* IV.

nus. Quis? *uno hoc indicio vitâ probiſſimus.* Teſtis ſcilicet omni exceptione major, unus ex non paucis, quos ſequaces habuerat VANINUS, hic *negaſſe Deum* objicit. Permutantes ſcenam, juxta *Ciceronis* * illud: *Quòd ſi rectà portum tenere nequeas, id ipſum mutatâ velificatione aſſequi decet*, video jam quaſi in ſpeculo exultantes hoſtes; jam re benè geſtâ cachinnum ſuper miſerum extollentes, cui nihil ſpei, nihil emolumenti, in doctiſſima reſponſione, quàm malè interpretabantur, ſuperat.

Namque uno illo teſte prolato, probationibus planè convictum dicebant, quod quouſque in judiciis valeat, æquiores judicent. Summum Numen *unius teſtis indicio hominem mori vetuit.* † *Inquiſitio Hiſpanica*, cujus leges ſanguine ſcriptæ ſunt, ſeptem requirit teſtes ‡; his unus eſt loco omnium. *Inquiſitionis* nomen odit Gallia, ſed eorundem perſonarum ſubdolis niti machinationibus hac in cauſa prodidit.

Apud Gallos condemnato ſtatim innoteſcit ſententia, & dum implacidâ mortis imagine hor-

* *Cicer. lib.* 1. *Epiſtol. ad Lentulum.*

† *Numer.* 35. *v.* 30. *Deuteron.* 17. *v.* 6. *& cap.* 19. *v.* 15.

‡ *Anon. in Relat. de Inquiſit. Hiſpan. in Act. Lipſienſ. Supp. tomo* 1.

horreſcit totus, rapitur in patibulum. Fruſtraneum eſt viro deſperato ſubſidium, quod momento tranſigitur. Satius foret, ſtata temporum intervalla concedi condemnatis, quo vomitis, irâ & ultione reſipiſcerent. Melius Hiſpani *& reliqui* Europæi, *qui temporum ſpatia concedunt condemnatis, quantum ſatis molliendo mortis horrori, abluendiſque per pœnitentiam meditatâ confeſſione noxis.* *

Debilitas extrema.

Jamque appropinquabat terribilis & flammivoma mortis hora, cùm miſero furor, indignatio, odium, ira, deſperatio, mortis timor, & inſania quædam obrepit. Sic intus malorum, foris populi ſpectaculum fuit, & jam Scholæ fabula eſt. *Erat ei in extremis aſpectus ferox & horridus, inquieta mens, anxium quodcunque loquebatur, & philoſophicè mori ſe clamabat.* † Sed, nec Stoïcum in *Phalaridis Tauro* riſiſſe legimus, qui ἀπάθειαν affectabat; quid miſer homuncio curis confectus, neceſſariis deſtitutus, per ſemeſtre in vinculis habitus?

Niſi æs triplex circa pectus eſt, miſereri miſeri & meminiſſe decet, quod præſente animo rogum aſcendere, aut conſummatæ virtutis ſit, aut qui fecerit, Deum eſſe, aut lapidem. Fecerunt quidam, ſed rara

 ſunt,

* *Gramond. Loco cit.*

† *Gramondus, lib.* 3. *Hiſtor. Gall.*

ſunt, & rariora exempla, quàm quòd iis arguere VANINUM malè egiſſe poſſint, quòd *dejectus animo omni Philoſophiæ præſidio deſtitutus mortuus ſit.* * Præſtans hoc & ſingulare Dei donum eſt: ubi furor in hominibus regnat, ceſſat ratio & conſtantia, & tam atrocis mortis timore correptum, nec vivum, nec mortuum dixeris. Attamen ut ſanctitatis aliqua ſpecies eſſet, *dum in patibulum trahitur*, *Monachi affuit ſolatium*, *quem aſpernatus objectam crucem averſatur*, Chriſto*que illudit in hæc verba: Illi in extremis imbellis ſudor*, *ego imperterritus morior.* † Væ tibi, VANINE, niſi Deus miſericors, fragilitatis tuæ memor, quæ in furore dira propalas, æquior tibi hominibus fuerit.

Et meliora, ut Chriſtianum eſt, de te ſperamus, & improbitatem Adverſariorum, quæ te per totum vitæ curriculum ſecuta eſt, jam morientis famam laceſſiviſſe credimus, quæ garrula poſtmodum centum linguis mille auribus intulit. Quorſum & illud, quod quibuſdam placuit juxta *Plinii* ‡ illud: *Nullum tam impudens mendacium eſt*, *quod teſte careat. Cùm enim more ſolito imponeretur illi à Judicibus ut*, *à Deo*, *Rege & Juſtitia veniam poſtularet*; *negavit ſe id poſſe*

* *Gramond. Loc. cit.*

† *Id. ibid.*

‡ *Plin. lib.* 8. *c.* 22. *Hiſtor. Natur.*

poſſe facere. Non à Deo, quandoquidem eum eſſe certum non eſſet. Non à Rege, quòd nihil in eum peccaſſet, imò nullum ſe fideliorem ſubditum Rex habuerit. Non à Juſtitia, ſeu Judicibus, quòd in illos non peccaſſet, illi ipſum magnâ injuriâ afficerent. Et ſi Diaboli eſſent in inferno, ut quidem hoc credi & dici ſolet, ſe potius devoturum Judices, ut ab illis auferantur. * Non plauſum haberet fabula, niſi tali finiretur cataſtrophe: *Atheus eſt; ergo Deum debet negare.* Hæc eſt confeſſio criminis; plaudunt inſcii; ſed ficta forſan, & ſi vera, furioſi, mente capti, & ob injuſtam damnationem extra ſe rapti, qui neminem ſecum habet niſi Lictores & adverſarios: Accuſatores, teſtes & unà Judices.

Dicunt non quod ille dixit, ſed quod talis qualem fingunt, dicere potuerit, uti plerique Hiſtoricorum orationibus fictis abundant. Audiamus *Junium Tiberianum* apud *Fl. Vopiſcum:* † *Scribe, ut libet; quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos Hiſtoriæ eloquentiæ miramur Autores.* Nulla diutius mora miſero, qui à Lictoribus, magnâ ſtipante populi catervâ, ad ignem in loco *du Salin* ‡ abripiebatur.

B 3 *Sed*

* *Voetius in Diſp. Select. de Atheïſmo, p.* 147. *Mercur. Gall. tom.* v. *Moreri, Grand Diction. Patiniana.*

† *Vopiſc. in Vit. Aureliani.*

‡ *Mercur. Gall.*

MORTIS GENUS.

Sed antequam rogo ſubderetur ignis, juſſus linguam cultro ſubmittere negat, neque exerit, niſi forcipum vi apprehenſam carnifex ferro abſcidit, reliqua abſumſit ignis; in aërem ſparſi cineres. *

Actum eſt; ilicet. Jamque tremula plebs vagabunda per agros dilabitur, populus novitatis avidus, exſatiatus ejus interitu, ſe domum recipit; plaudunt adverſarii, choreas agunt; vix unus & alter Veritatis latentis Deæ cultor remanet, miſerumque intuetur rogum. Vos tamen adeſte.

Quanquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit,

adeſte, quæſo, ac iterum iterumque fumantem rogum aſpicite. JULIUM CÆSAREM occiſum, miſerè à ſuis deformatum, rogo impoſitum Philoſophum, *Romani Cæſaris* in literis æmulum vidiſtis. Quòd ſi vobis veteris Romæ imago recurrit, jam homicidæ ovantes collegium petunt; *Cicero* quidam ſui temporis *Patriæ Patres* appellitat, & *ſi quis Cæſarem defendere conetur, tollendum* exiſtimat. Senatus Sedis Apoſtolicæ conſulto, interfectoribus *Cæſaris* Epiſcopatus, Abbatiæ, honoreſque decernuntur. Deëſt autem *Antonius*, qui pro concione laudet, qui codicillos aperiat, non ære auroque graves, ſed varietate

* *Gramond. Loc. cit.*

rietate rerum conſpicuos. Qui licet deſit proprius, tamen crimen quo periit, aſpiciamus.

Apud pleroſque (inquit *Gramondus*) *pro Hæreſiarcha habitus*, *mihi pro Atheo*. Prius, ut in Romana Eccleſia pervulgatum eſt, ita poſterius, quantò pejus, tantò magis omnibus ferè placuiſſe mirum eſt.

Criminis Atheiſmi inveſtigatio.

Atheum volunt; libet igitur quærere ab eruditiſſimis, quid ſit *Atheus?* Si ex plurimorum mente crimen inveſtigamus, vix Judex ſupererit, qui judicet, cùm omnia graviora vitia iis hoc nomine veniant. *Voetius*, non infimi nominis Theologus, deſcribit: * *Atheum eſſe qui cognitionem, fidem & cultum Dei, ſivè directè, ſive indirectè à ſe aut ab aliis removet.* Omnes ſpecies, quas ſubjungit, recenſere ſuperſedeo; ex laxiore ſignificatione numerum *Atheorum*, quem ſæpius mirari ſoleo, ſubortum indicans. Non ſolùm enim *Ethnici*, *Judæi*, *Mahumedani*, ſed & omnes omninò errore ſatæ hæreſes hoc nomine compellandæ eſſent; quarum aſſeclæ tamen Deum, licet minus rectâ fide, & verum Deum colunt. Intentatur crimen Ethnicis, & hi, † eorumque Princeps *Julianus*, ille Apoſtata Philoſophus ‡ pri-

 mis

* *Voetius in Diſp. Select. tom.* 1. *Diſput. de Atheïſmo.*

† *Clem. Alexandr. Strom.* 7. *pag.* 504. *Athenagoras in Apolog.*

‡ *Sozomenus*, *lib.* 5. *cap.* 15.

mis intentarunt Chriſtianis. Qui Christi Salvatoris dulciſſimum nomen colunt, Romanos * de Atheïſmo poſtulant; at hi † reliquos non minore numero. Illis ipſis hæreticæ pravitatis Magiſtris *Hæreticus* eſt *Atheus*, & *Atheus* eſt *Hæreticus*.

Sic *Eunomium Hieronymus*, ‡ *Arrium Athanaſius Atheos* appellitant, *qui unum Deum nunquam negarunt*. Eodem modo verbi illius utendi libido totas gentes crimine atrociſſimo notavit. In Oriente ⸸ *Seres* ἄθεοι quidem *Celſo*, *Origenis* Antagoniſtæ, *non quidem, quòd Numen Naturæ autores ignorarent, ſed quòd ſtatuas forſan, aras & templa non haberent*. Neque verò nomen in Religionis ſolum negotio regnat, ſed & in rebus civilibus locum habet non poſtremum. Ab Hiſpaniarum partium Theologis β *Galli*, *Veneti*, omneſque alii, qui conſiliis & conatibus eorum minus favent, *Athei* ſalutantur, & hi *eodem nomine Hiſpanos* inſigniunt. *Gallo-Franci* γ qui nutibus Romanæ Curiæ ſe non mancipant, *Athei* vocantur & *Libertini*; imò illi quicquid obſtat, hoc crimine quaſi falce cha-

* *Voetius aliique.*

† *Merſennus in Gen. p. 673. Poſſevin. libr. 8. Biblioth.*

‡ *Hieron. in Epiſt. ad Pammach.*

⸸ *In Archæolog. Philoſoph. cap. 3. cujus Aut.* Thomas *Burnettus.*

β *Voet. in Diſput. Select.*

γ *Garaſſe in Paſchaſium.*

chalybeâ diſſecant. *O tempora, ô mores!* Hi Atheomaſtyges Deo mundum eripiunt, Deum cordibus ſibi ſacratis hominum expellunt. Nam dum omnes *Atheos* vocant, ſine Deo ſunt, & mundus totus quod blaſphemum ignorat Deum. Si is, quem vos *Atheum* vocatis, talis eſſet, quàm fœdè diruta Spiritûs Sancti templa forent!

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili. *

At inſanientis ſemper orbis conſuetudine veſtros probatis mores.

Ruſticus exſpectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum. †

Quid memorem Antiquos, *Diagoram* ‡ *Melium* ⊥, *Protagoram*, *Diodorum*, *Bionem Boryſthenitem*, *Evemerum Tegeatem*, *Nicanorem Cyprium*, *Diogenem Smyrnæum* ₠, *Hipponem & Soſiam*, & *Dionyſium Phrygem?* quorum dubia fama eſt, cùm Hiſtoricos, quorum Deos irriſerunt, ſequi neceſſe habeamus.

 Au-

* *Juvenal. Sat.* 13.
† *Horat. lib.* 1. *Epiſt.* 2.
‡ *Plutarch. de Plac. Philoſ. lib.* 1. *cap.* 7.
⊥ *Suidas.*
₠ *Ælianus, lib.* 2. *cap.* 31. *Sextus adverſus Mathem. lib.* 8. *Chauvin, de Relig. Natur. cap.* 4.

Audiamus *Minutium Felicem* * & *Arnobium* †, *Euhemerum*, *Nicagoram Cyprium*, *Pellæum Leonem*, *Cyrenenſem Theodorum*, *Hipponem* & *Diagoram Melium* pro veritate Chriſtiana citantes. Itane Eccleſiæ Patres ad Gentium ſalutem, *Atheos* in partes vocarunt? Minimè videtur, nec cauſa fortaſſe ſubeſt, ut cum vulgo eos fuiſſe tales exiſtimemus. Ne prætereatis *Senecam*, ſummum illum Philoſophum, moneo, quem nondum *Atheum* vos dixiſſe miror, quòd cum aliis, ut decebat, *Deos* irriſit ‡, & *de ſuperſtitionibus Romanorum* librum compoſuit. ⊥

Sanè ſi *Anaxagoram* β, *Homerum* γ, *Socratem* δ, *Galenum* ζ, *Plinium*, *Plutarchum* ϑ, *Epicurum* κ, *Ariſtotelem* λ, *Lucianum*,

* *In Octavio Conf. Voſſ. de Idololat. Gentil. lib.* 1. *c.* 1.

† *Arnob. lib.* IV. *contra Gentes.*

‡ *De Morte Claudii.*

⊥ *Auguſtin. lib.* VI. *cap.* 10. *de Civit. Dei.*

β *Huëtius de Concord. Rat. & Fidei*, *lib.* 2. *pag.* 98.

γ *Homerum defendit* Jacobus du Port, *Prof. Cantabrig. in Præfat. Gnomolog. Homer. Ex Antiquis*, Heraclides *de Allegoriis Homericis*, *editus inter Mythologos Scriptores*, *Amſtelod.* 1688. in 8.

δ *Eraſm. in Conviv. Religioſo; Balſac. Socrate Chretien.*

ζ *Thomas Reineſ. in Var. Lect.*

ϑ *Molinæus de Cognitione Dei*, *pag.* 81.

κ *Seneca cap.* 13. *de Vit. beata. Gaſſend. in Oper.*

λ *Accuſant Valerianus Magnus*, *de Atheïſmo Ariſtotelis* 1647. *& Parckerus*, *de Deo & Provident. Excuſant Fortunius Licetus*, *de Pietate Ariſtotelis. Junge Caſpar. Cardill. de Villalpando ex Nic. Ant. Bibl. Hiſpan.*

num *, at quantos viros! accenſemus iis, ne in his iniquiores ſimus proſpiciendum eſt, & ne *Lucianus** redivivus quondam, qui falſos olim irriſit Deos, falſarios iſtos irrideat! Quàm innocuè innocentiſſimi viri, *Eraſmus*, *Melanthon*, *Lutherus*, *Calvinus Athei* vocati ſunt, qui impugnaverunt *ſuperſtitiones*, *quæ ſunt nervi Regni Monaſtici!* † Quid de Cardinalibus *Petro Bembo*, *Cajetano* & *Perronio?* Quid de *Pomponatio*, *Cardano*, *Campanella*, *Paulo Jovio*, *Joanne Petito*, ſeu *Politiano*, *Hermolao Barbaro*, *Guilielmo Poſtello?* Quid de *Mureto*, *Juſto Lipſio*, *Joanne Bodino?* Quid de *Carteſio?* Quid de *Roberto Fluddio*, viro ſatis ſuperſtitioſo? ‡ Quid de *Thoma Brown?* ⊥ Quid *de Puffendorſio*, β aliiſque innumeris dicam? qui Atheïſmi poſtulantur. Alienis plerumque auribus audimus, alienis oculis videmus, alienâ conſcientiâ ſummorum virorum famæ, æternam aſpergimus labem. Plurimi *Deum* γ, ſed non ritè, venerantur; omnes, ſed inſciè, metuunt; pauci, ſed impiè, diffiterentur, ſi

* *Ipſe ſe excuſat in Dial. de Calumniis. Theologiam Luciani Jenæ propoſuit Treuner.*

† *Naudæana*, *pag.* 79.

‡ *Patiniana.*

⊥ *Welſchius in Epiſt. de ſcript. edita ab Almelov. in Bibl. latente.*

β *Nic. Becmannus in noviſſ. Jure Rom. German.* in 4.

γ *Apulej. de Deo Socratis.*

ſi poſſent. Quid enim, per *Deum*, eſt horrendum & abominabile magis, hominem velle *Deum* negare, & Creatorem exturbari ſuâ potentiâ ab opere manuum ſuarum? Bonus Vir, ſine *Deo*, nemo eſt; nec quidem malus: mediis noſtris cogitationibus intervenit. Ferox equus tentat excutere rectorem; maleſanus homo, ſupremum Numen, ſed fruſtra, tentant. Ab omni humanitatis ratione alienum eſt, ex nihilo hoc eſſe, & à nihilo regi credere, & nullum eſſe *Deum* (qualis nobis eſt *Atheus*) ſeriò ſentire.

In hominibus * *nulla gens eſt*, *neque tam immanſueta*, *neque tam fera*, *quæ non*, *etiamſi ignoret*, *qualem* Deum *habere deceat*, *tamen habendum ſciat*. Ac *Ælianus* † Barbarorum *neminem* contendit *ad* ἀθεότητα *eſſe delapſum*, *ſed ab omnibus affirmari*, *eſſe* Numen, *& noſtri curam gerere*. Inſanos videmus, *Deum*, Angelos, beſtias ſe eſſe mentientes, & hos miſericordiâ tactus domibus deſtinatis includit, fovetque Reipublicæ Miniſter. His annumera *Atheum*, aut qui affectat talem; nam verè inſanus eſt, & animam lucra pietate & juſtitiâ.

Qui homines à brutis religione ut ratione diſtingui aſſerunt, non incongruè *Deum* negare, & rationis uſum exuere, æquipollere arbitrantur.

Jam

* *Cicer. lib. 2. de Legibus.*

† *Ælian. lib. 2. cap. 31. Var. Hiſtor.*

Jam quid de VANINO agetur, *decantato Atheo?*

Mutaſtis illum, acerrimi hoſtes!

Quod olim auditum
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines,
Et ſævas belluas manſitaſſe. *

Ex ſociis *Ulyſſis* miſerrimus ille eſt: beſtiam fingitis *Deo* hominibuſque inimicam; ſed *Moly* affero herbam prævalidam:

Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.

Atque utinam tantos dirum calumniæ venenum non occupaſſet viros! tacerem utique, nec me miſcerem improvidus, docto choro. Jam illud audeo, nullâ niſi veritatis & candoris fiduciâ. *Utrumque enim vitium eſt, & omnibus credere & nulli*, non intellectâ re, craſſâ in ignorantia. Soporem igitur diſcutere, fixiſque oculis libros intueri decet, quibus *Martialis* † illud inſcribo: CENSURA VANINI.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis: hic aliter non fit, Avite, *liber.*

Neque enim unquam tanto aut partium ſtudio abreptus ſum, aut odio, quin oculum aurem-

* *Plaut. in Amphitryon. Act.* IV. *Sc.* II.
† *Martial. lib.* I. *Epigr.* XVII.

auremque liberam alteri parti ſervarim. Cùm itaque VANINUS non omni labe careat, verum & Theologiæ Philoſophiam profanius aliquando, dum nova quærit, jungat, diſſimulare hoc non eſt meum. Ita è contra famæ ejus, dum Adverſarii inſultant, dum Scholaſtici maledictis proſcindunt, dum *Deum* ei legemque eripiunt, deeſſe nolui. Accidit ei quod quibuſdam, quibus ſupra vulgum ſapere in aliis datum fuit, ut plus rationi quàm fidei, plus ſuis viribus, quàm æquum eſt tribuerint. Nam qui ingenio fæcundo ſunt magnoque, vulgi ſpernunt commercium, & dum aliorum veſtigia premunt, ſe compedibus clauſos vinctoſque putant. Evolat in auras ſpiritus, magna novaque tentat, cœlum ipſum petit, arctoſque ſcientiarum limites conſpiciens, eos ſuperare tentat. Sed

Magna petis, Phaëton, *& quæ non viribus iſtis*
Munera conveniunt. *

Tutius per plana, ſed humilius & depreſſius iter frequentior currentibus quàm reptantibus lapſus, ſed & his non labantibus nulla laus, illis nonnulla laus, etiamſi labantur. † Quis enim in ſerpentinis illis & flexuoſis ſemitis, quis in Mæandris & Labyrinthis, ubi caligo

* *Ovid. Metam. lib.* 2.
† *Plin. Jun.*

caligo occæcat oculos, mentem ſine lapſu ſupra naturam extollere poterit? Hæc noſtris cogitationibus ponit metam, ac ſimulatque ultra tendimus, & latum digitum vertigo oboritur, tanta profari impotes. Tendimus ad lucis fontem, ad *Deum*, qui rationis terminos claudit, de ſe ipſo loquens, *Sum qui ſum.* Hoc fidei eſt: rationem complectitur natura, neque tollit, ſed ut exerceat ſe, patentem aperit campum.

Verùm qui rationem naturæ amicâ junxerit copulâ, ac in decore creaturæ contemplando Creatorem veneratur, quibuſdam malè audit. *Socratis*, Sophi illius Græciæ, accuſationem olim legimus hiſce ferè verbis * propoſitam: Socrates *injuſtè agit, atque nimium curiosè perquirit, quæ ſub terra & quæ in cœlo ſunt, inferioremque cauſam reddit ſuperiorem. Quam quidem qui audiebant*, inquit *Plato* †, *opinabantur harum rerum perſcrutatores non credere*, Deos *eſſe.* Eandem ſcenam mutatis perſonis adhuc agi videtis, auditores, & quod *Socrati* evenit viro ſapientiſſimo, evenit VANINO. Qui tela ſacra Verbi Divini ſatis acuminata cernens, naturæ rationem junxit, & *Atheos* hoſteſque *Dei*, proprio, ut ajunt, gladio jugulare aggreſſus eſt.

Rationi

* *Plato in Apolog. Socratis.*

† *Paulò antè, in eadem Apol. Socrat.*

Rationi rationem oppoſuit, naturam naturæ, ex ejuſque patente armario arietem ariete pulſavit. Sed literæ ſunt in Natura Hieroglyphicæ, cryptica methodus, fallax latenſque via, in cujus aditu inſtituti Philoſophi licet characteres occultos mirâ animi ſolertiâ aſſequerentur, ad verum *Numen* necdum potuerunt pertingere.

At cùm ſe ingenioli quâdam ſpecie blandiretur VANINUS, hîc virum ſe præſtare, ut poſſet optavit.

Sic ſcientiarum tentavit cacumen, quod hominibus denegatum eſt:

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractans, & incedens per ignes
Suppoſitos cineri doloſo: *
Et ſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri. †

De alto ita præcipitem, nec verbo à Cenſoribus illis clariſſimis, at moroſis propugnarem, niſi fidem ei, Legem *Deum*que denegarent. De quibus rectius forſan nobis conſtaret, ſi *Apologiæ pro Legis Moſaïcæ & Chriſtianæ Veritate*, librorum *Concilii Tridentini*, *Aſtronomicorum Moralium Medico-phyſicorum Commentariorum* copia eſſet. At horum nihil ſupereſt, nec typis extare quicquam novimus, niſi *Amphitheatrum*

* *Horat. lib.* 2. *Od.* 1. *Carmin.*
† *Ovid. Metam. lib.* 2.

trum æternæ Providentiæ divino-magicum, Chriſtiano-phyſicum, aſtrologico-catholicum, adverſus veteres Philoſophos Atheos, *Epicureos, Peripateticos, Stoïcos*; Lugduni 1615. *in* 8. &

De admirandis Naturæ, Reginæ Deæque mortalium, Arcanis, libri IV. Lutetiæ 1616. *in* 8.

Prius Theologum ſapit, poſterius Philoſophum. Si nomen ſpectas, hi non diſſident; ergo nec in illo, nec in libris, ſi benignè interpretari volueris.

In *Amphitheatro*, quod miror, Deum *agnoſcit & propugnat* Atheus, Deum *pro captu humano explicat*, *ejus* Providentiam *à creatione mundi, à motu ſtellarum ad inferiora ordinato, ab Oraculorum Sibyllinorumque Librorum reſponſis, & Novi Veteriſque Legis miraculis* probat. Tum aggreditur Diagoram, Protagoram, Ciceronem, Epicureos, Averroëm *de* Providentia Divina *aut minus rectè ſentientes, aut eam planè negantes*, & *Stoïcos malè* Deum *peccati autorem feciſſe*, rectè arguit.

Nihil hoc monſtri alere dices, neque credere neceſſe eſt: *cùm* Amphitheatrum *ejus ſatis ſanum ac ſubtiliter pro animæ immortalitate diſputet*, * ut inquit *Morhofius*, aut, uti alio in loco † ſatis oſtendit VA- Elogia.

C NI-

* *Morhof. in Polyhiſt.*
† *Morhof. in MS. de Hiſt. liter.*

NINUS, *non id ſibi animi eſſe, ut doctrinam Chriſtianam impugnet:* nam adverſus *Pomponatium* & *Cardanum* profanas quaſdam ſententias diſputat, eaſque impietatis damnat & Atheïſmi.

Nihil Catholicæ fidei Romanæ contrarium aut repugnans reperire in eo potuit *Joannes Claudius Deville*, Cenſor libri ejus: *Sed peracutas & prævalidas rationes juxta ſanam ſublimiorum in ſacra Theologia Magiſtrorum doctrinam (ô quàm utiliter!) contineri* dicit. Accedit *Franciſci de Soleil*, *Jacobi Deveyne*, *Seve* L. generalis conſenſus in *Amphitheatro* ſuo, quem in libris IV. de *Arcanis Naturæ* edendis *Edmundus Corradin*, & *Claudius le Petit*, Doctor Regens, dederunt. Nec quicquam difficultatis impreſſio prior habuit. *

Accedunt virorum doctorum elogia, quibus libros ejus decorarunt. Inter quos *Georgius Certain*, Medicinæ Doctor Pariſienſis, vocat † *eminentiſſimum* & *toto orbe clariſſimum.* Idem inquit:

Vaninus, *Vir mente potens, Sophiæque Magiſter*
Maximus, Italiæ decus & nova gloria gentis.

Barlæus inquit: ‡ *Nec deeſt quod in Scriptore iſto probem dictionis perſpicuitatem, orationis*

* *Patiniana.*

† *In Carm. de Arc. Nat. præm.*

‡ *Barl. Epiſt.* 162.

tionis facilitatem, *& rerum philoſophicarum peritiam non vulgarem.*

Diecmannus etiam Vir eruditiſſimus, qui *Bodini* aliorumque propenſionem in naturæ cultum coarguit, VANINUM damnat; ita enim ferunt duces viæ ejus & ſtudiorum: ſed quomodo audi. * *Scriptorem* vocat *plurium ore quàm oculis & manibus uſurpatum. Magna enim*, pergit, *librorum raritas effecit*, *ut nonnulli minus rectè*, *non de Autore*, *ſed ejus ſcriptis quaſi pleno nobis horreo nequiſſimum hunc naturaliſmum admetiantur*, *ſentiant*, *à quibus nobis*, *qui aliqua cum cura famoſos iſtos* VANINI *libros tractavimus*, *abire liceat.*

Melius adhuc de eo ſenſit nuper *Godofredus Arnoldus*, † Patronus Accuſatorum generalis.

Sed quid elogiis referendis laboro, cùm ea cum autoritate Philoſophis vix curæ ſint, nec omnibus eum diſplicuiſſe me probaſſe ſat erit. Neque minus multa multis diſplicent. Huic ‡ *ſeſquipedalia & veluti torno elaborata nomina*, illi ⊥ adulatio & *Bellarmini*, *Becani*, *Ducæi*, *Suarezii*, Jeſuitarum laudes, quibus tunc temporis de

C 2 *Pro-*

* *In Diſſ. de Natural. Bodin. pag.* 24.

† *Gottfrid. Arnold. in Hiſtor. Hæreſ. tom.* II. *lib.* XVII. *cap.* XVI.

‡ *Barlæus*, *Ep.* 162.

⊥ *Unſchuldige Nachrichten in Theolog. Sachen*, *An.* 1702. *den* 19. *Sont.*

Providentia cum *Dominicanis* lis erat. *Pomponatii*, *Machiavelli*, *Cardani* lectio, *ambitio & philautia*, *inconſtantia*, *novorumque argumentorum ſtructura*; cùm tamen Scholaſticorum Philoſophiam poſtulaſſe ea concedant. Hæc leviora ſunt, quæ non ei *Deum* eripient. Quibus licet habeam quæ opponam, me tamen hæc prætermittere lubens fateor, veluti & articulum de *libero Arbitrio*, in quo eum erroris poſtulant *Merſennus*, * & Autor quidam anonymus †.

ADVERSARII EORUMQUE RATIONES.

Potius ingrediamur judicium; Accuſatores graviſſimi præſtò ſunt, capita movent, diſtendunt os, pede pulſant terram, miſer Reus vinctus inter lictores, & inſultantium caterva in imis ſedet ſubſelliis. Miſer Reus in *contumeliæ* ſpectatur *ſcabello*, more ab *Areopagitis* olim *Athenis* obſervato, dum Accuſatores alterum, quod *impudentiæ* vocarunt, occupant ‡ *ſcabellum*.

Gramondus, Parlamenti Tholoſani Præſes, primus prodit, ut laboranti ſuccurrat ſuorum æquitati. Hic primus reliquis ſigna præfert; hic princeps: Sed *quis ille mente debilis*, *ſuperſtitioſus*, *falſarius inſignis*, *& adulator?* ſi *Patino* ⸸ credimus.

Digna

* *Merſennus in Gen. pag.* 351.
† *Autor der Unſchuldigen Nachrichten.*
‡ *Pauſan. in Attic. pag.* 49.
⸸ *Patin. Ep.* 91.

Digna eſt Judicis perſona, firmiſſimumque erit teſtimonium; audiamus: *Illi*, inquit, * *in irriſum ſacra & religioſa, Chriſti humanitatem execrabatur*, Deum *ignorabat.*

Sorte omnia fieri exiſtimabat; Naturam pro matre optima & omnium autrice adorabat, ut dici poſſet ex multis unus error, quem pervicaciter profitebatur Tholoſæ loco ſancto... Sacrum Sacerdotii characterem polluit libro infami, quem ſcripſit in hunc titulum: de Arcanis Naturæ, *quo non erubuit profiteri Naturam omnium Deam....*

Fidei Catholicæ arcana vulgavit *in problemata primum, dein in irriſum... Flagitioſus in libertate & voluptatum ſectator avidus, in carcere Catholicus, in extremis omni philoſophiæ præſidio deſtitutus moritur.* Adſtat *Biſſelius* † Jeſuita, & libellum neſcio quem ex *Gramondi* ſcriniis ſurreptum Stentoreâ voce legit. Sed abeas, bone Vir, & partes tuas illuſtri *Gramondo* trade, qui præter te nobiliſſimâ catervâ ſtipatus incedit, in qua poſtremum locum occupa.

Me, fateor, clara nomina movent; attamen quæ ſuſcepi perficienda ſunt: ac cùm non contradicendi vano movear pruritu, ſed veritatis munimine illis me opponam, eos ipſos æquiores ſpero. In ipſa

* *Gramond. L. ſæpius citato.*

† *Biſſel. Septenn.* III. *Rerum noſtro ævo eminent. ad Ann.* 1619.

lite Te virum clariſſimum judicem meum obteſtor, ut malam illam contra jus faſque obtrectandi libidinem coërcere, & ut legibus agant, rationibus pugnent, injungere velis! Nam numero me iis inferiorem agnoſco, quos juſtitiâ cauſæ ſupero, qui catervatim incurſum facientes, autoritate quæ nulla eſt, me debellare tentant.

Et illos
Defendit numerus, junctæque umbone phalanges. *

Ecce! jam efferveſcit in *Marino Merſenno* ſanguis, meque interpellat: *Tu* VANINUM *non vis* Atheum *dicere, qui* Atheorum Præſes *eſt? Grand Patriarche des Athées.* †
VANINUM *dixiſſe ferunt, cum* XII. Neapolis *diſceſſiſſe, ut per totum terrarum orbem Atheïſmum propagarent, ipſum verò* Lutetiam *ſortitum fuiſſe.* ‡ *Voetius* ei à latere hæret, & inter loquendum acutum permulcet mentum. Et quid tu, ⊥ *Voeti?*

Te quoque dicunt
Vatem paſtores?

Quid *Chriſtophorus Wittichius*, β & Magiſter *Grunenagel*, γ qui duorum teſtium loco

* *Juvenal. Sat.* II.
† *Garaſſus in Doctrina curioſa, Lutet.* 1623. in 4. *edita lib.* 5. *pag.* 641.
‡ *Merſenn. in Geneſ. pag.* 673.
⊥ *Voet. de Atheïſmo, pag.* 218.
β *Wittich. in Philoſ. Carteſ. in principit. Non.*
γ *Grunen. in Diſput. de Atheïſm.*

loco tecum ſunt? Sed quid velint? certo certius aſſerunt quod eorum oraculum *Merſennus* (ferunt) dixiſſet. Cautus eſt *Merſennus*, & ferunt dicit, cùm apud *Senecam* * legerit: *Quod Hiſtorici faciunt, & ipſe faciam. Illi cùm multa mentiti ſunt ad arbitrium ſuum, aliquam rem nolunt ſpondere; ſed adjiciunt* (ferunt) penes Autores fides eſt.

Hoc dum aſſeclæ ejus negligunt, imprudentiores peccant. His accedit novus quidam, † qui acu tangit VANINUM, aſſerens *maximum in extremis prædicaſſe ſolatium*, quòd ipſe XII. *Apoſtolos emiſerit, ipſeque* 50000. Atheorum *inſtituerit*. Et in tanto numero unicus tantùm teſtis convicit *Atheiſmi*. Heu quanta impietas! Contraria narrat *Patinus*; *eum auſum fuiſſe novam profiteri religionem, ſi unicum habuiſſet ſocium*; quantum diſtant *quinquaginta millia* & *unus*! Liceat tamen cogitata & inventa eorum eloqui.

Ita *Borrichio* peregrinanti narrarunt, olim Tholoſæ horâ x. veſpertinâ conventicula habuiſſe, in quibus multos Principes Civitatis docuerit Atheïſmum, ut in ejus *Ephemeridibus* hodœporicis MStis legiſſe memini. Hi autem Principes dam-

C 4 narunt,

* *Sen. lib. 4. cap. 3. Nat. Quæſt. add. Herodot. in Polymn. Pauſan. lib. 6. Curt. lib. 9. c. 1. §. 34.*

† *H. Heſſius in MSto.*

narunt, unico *Francone* teſte, nec propriâ conſcientiâ convicti, per dimidium annum litem inſtruentes ac animo incerti, an teſtimoniorum fide ſit convictus, quod acerrimus cavillator *Garaſſus* concedit. * Mira narras. Me XII. Apoſtolos fabellæ loco habere lubens fateor, figmentum ad invidiam conflandam ſatis aptum. Quamobrem cùm † *Joſephum Franciſcum Burrhum*, nobilem Chymicum, Viennæ detinerent, eodem figmento uſi ſunt, ut ſuis inviſum redderent. Profanum ingenium id prius protulit, quem in VANINO fugimus; hîc latet anguis. Nam duodenarius numerus, Apoſtolorum, ipſius Præſidis, CHRISTI, quòd malè cedat, typus eſſet. Fabulis ludunt mentibuſque incautis imponunt.

Sed ſi ab intempeſtivè interpellantibus liber ero, ut *Gramondo*, & qui cum eo ſunt Viris clariſſimis ſatisfiat, me accingo, & ut diluantur ea, quæ vitio dantur, & quibus *Atheum* fingunt, curabo. Quòd ſi fortè inepta videbor & oppidò frivola velle defendere, qui nunquam *Atheum* facient, illis debet ea res vitio ‡ verti, quibus turpe eſt etiam hæc objectaſſe, non mihi culpæ dari, cui honeſtum erit etiam hæc diluiſſe. Dum autem ea, quæ animi gratiâ profe-

ro,

* *Garaſſe, Doctrine curieuſe, lib.* 2. *pag.* 146.
† *Andr. Caroli in Mem. Eccleſ. ſec.* XVII. *l.* 8. *p.* 14.
‡ *Apulej. in Apol.*

ro, miſerabile buſtum cinereſque defendens, non omni invidiâ careant,

Sincerùm mihi
Candore noto reddas judicium peto. *

Primum & maximum crimen eſt, *ignorabat Deum.* Majus non erit: hoc ſi probaſſet *Gramondus*, his duobus verbis omnis in caſſum rediret defendendi labor. Verùm ſi eum ipſum perlegimus, ſi doctiſſimam *Confeſſionem de Deo*, quam illuſtriſſimus Præſes retulit, conſideramus, ſuo indicio ipſe perit. RATIO I.

An ignoravit Deum? Legat, cui tempus eſt, relegat & perlegat ſcripta, ſi Deum ignoraſſe probaverit, eum divinum credam. Ignoravit, ſed doctâ ignorantiâ, quâ ultra mentis captum non proſiluit, ut nos omnes ignoramus. *Quæris*, inquit, † *à me, quid Deus ſit; ſi ſcirem, Deus eſſem; nam Deum nemo novit nec ſcit quid ſit, niſi ipſemet Deus: poſſumus tamen quaſi per nubem ſolis lumen, quid ipſe, per ejus opera aliquantum cognoſcere. Quare ſic eum, (licet temerè fortaſſis) deſcribere audet dextera noſtra: ſui ipſius principium & finis, utriuſque carens neutrius egens, utriuſque parens atque autor. Semper eſt ſine fine, cui præteritum non abit, nec ſubit futurum:*

 regnat

* *Phædr. lib. 3. fab. 1.*
† *Exercit. 11. Amphith.*

regnat ubique ſine loco, immobilis abſque ſtatu, pernix ſine motu, extra omnia, omnis intra omnia, ſed non includitur in ipſis; extra omnia, ſed nec ab ipſis excluditur, intimus hæc regit, extimus creavit; bonus ſine qualitate, ſine quantitate magnus, totus ſine partibus, immutabilis dum cætera immutat, cujus velle potentia, cui opus voluntas ſimplex eſt, in quo nihil in potentia, ſed in actu omnia, imò ipſe purus primus, medius & ultimus actus. Denique eſt omnia ante omnia, & poſt omnia, omnis. An ignoravit Deum? Certè in Majeſtate divina delineanda allegoriâ quâdam opus eſſe videtur. Neque omnino mihi *Hermetici* diſplicent, qui Deum *Sphæram* vocarunt, *cujus centrum ubique, circumferentia nullibi.* Beatis ſolùm datum eſt, Deum intimius noſſe; reliqui ſatis habent ſcire Deum in Verbo ſuo revelatum.

RATIO II. Jam ſurgit *Roſſettus* * *Gallus: Il fit revivre ce mechant & abominable Livre*, que *l'on intitule*, Les Trois Impoſteurs *que l'on a imprimé à la vüe & au grand ſcandale des Chretiens.* Graviter *Roſſettus*, Romanenſium Scriptor, † arguit fabulam fabulâ. Viri doctiſſimi, iique magni nominis, chimæram illam nunquam extitiſſe volunt. Certè Dnus. *de la Monnoie* ‡ ſingulari Diſſerta-

* *Roſſet*, Hiſtoire tragique, *quem vertit* Zeilerus.
† *Patin. in MSto.*
‡ *Additions ad* Naudæana; *Journal des Savans.*

ſertatione nunquam fuiſſe aſſerere voluit commentum illud hominis nefandi & otioſi.

At quas fabuloſa hydra turbas ciet! Neque tamen librum *de Tribus Impoſtoribus* planè negaverim. Notiſſimus labor Dni. *Kortholti*, qui ut invidiam conflaret, eo nomine impugnavit *Spinoſam*, *Hobbeſium*, & *Baronem de Cherbury*. Alius quidam *de Tribus Judæis* ſe MESSIAM nugantibus titulo uſus eſt.

Dixit *Joannes Evelyn*; dixit de his quidam *Perinus del Vago*; dixit & *Morinus* de *Tribus Impoſtoribus*. Quorum poſterior ficto nomine *Vincentii Panurgi*, *Gaſſendum*, *Nevreum* & *Bernierium* traducit. Verùm hi titulo utuntur innocui, alter venenum atrox tegere dicitur, effatum nempe, *Friderici II.* Imperatoris * quod ei tribuunt *Moſem* & *Mahometem* inſignes fuiſſe Impoſtores, qui genus humanum ſeduxerint. Pereat qui tam male cogitet, ut mendaciter Imperatori optimo affictum contendit, *Petrus de Vineis*, † qui ei fuit à Secretis. Sed, permitte librum nefandum extare, ſit *Polonia*, *Hungaria*que, quæ typis excudit, talium monſtrorum ferax, quouſque nondum probatum eſt, VANINUM habuiſſe & legiſſe, noſtros vix

* *Lipſ. in Monit. Polit. lib.* 1. *cap.* 4. *Naudæana*, *pag.* 129.

† *Vineis lib.* 1. *Ep.* 31.

vix tangit limites, & *Roſſetti* gravis accuſatio ruinam minatur. Illud autem pernego. Liber iſte machinâ hâc ſubdolâ, *Equi* inſtar *Trojani* eſt. Ex hoc Equo ferunt nobiliſſimis *Trojanis* ortum exitium; ex hoc libro doctiſſimis, qui profaniore aliquantulum erant ingenio, infamia ſuborta eſt. Sed Equus fabuloſus, liber ſuſpectus, ovum ovo ſimile. Hic *Arnoldum Villanovanum* autorem habet, ille *Petrum Aretinum*, alter *Bernardum Ochinum*, alius quidam *Guilielmum Poſtellum*, iſte *Muretum*, & neſcio quem. Summis hiſce ingeniis *Roſſetto* addere placuit, VANINUM, ut moles, quæ tot viris noxia fuerat, obrueret pauperculum, orationem ad invidiam conflandam ſatis aptam ſe inveniſſe gaudens, *Sic * plerique minimis inventiunculis gaudent, quæ excuſſæ riſum movent, inventæ facie ingenii blandiuntur.*

RATIO III. Sed uti hæc forſan concedis, ita *Atheorum dicta retuliſſe* arguis. Non nego; profani ſpeciem habet, qui profana, licet alieno ore, referat. At ſi nec Medicus, qui de veneno monet, ſi ſibi naſutulus non cavet, ullâ tenetur culpâ; ita VANINUS, qui providè de veneno monuit, ſimili in cauſa abſolvendus eſt.

Provida mater Natura ſcyllas ſcopulorumque anfractûs albâ ſolet deſignare ſpu-

* *Quintil. Inſtit. Orat. libr.* 8.

ſpumâ; attamen ſæpè improvidus nauta naufragium patitur: an quis arguet eam? Profectò nemo. Si quis noctu flammis è pharo, ligneiſque ſtructuris de Syrtibus interdiu navigantem monuit, cùm tamen nauclerus iniquum littus amans perit, non cædis arguitur. Ita nec VANINUM, ſi ſcyllæ, ſcopuli Syrteſque in ejus libris ſunt, qui diligenter notavit eas, monuitque Lectorem, arguere decet. Hinc *Atheorum* quiſquilias *circa præſcripta Religionis* eſſe jubet, & *repreſſiſſe aniles fabulas quæ ſibi ſtomachum faceſſant teſtatur.* Immiſcuit frivola quædam, & quid tum? *Carneades*, ille omnium argutiſſimus, quo diſſertante, *quid veri eſſet, haud facilè diſcerni poterat*, memorante *Plinio*, * cùm olim pro vitio ſumma cum hominum admiratione verba faceret. *Quemadmodum*, inquit, *niſi nox eſſet, dies non eſſet; ita per Jovem, niſi vitium innatum eſſet rerum naturæ, virtus fruſtra quæreretur.* Sic vento roborantur arbores; allio appoſito gratius ſpirant roſæ; palma ſub onere creſcit; ex vitio noſcitur virtus, & vitioſis *Atheorum* dictis confirmata Chriſti floret doctrina. Audiamus ipſum: † *Nec inde*, inquit, *mihi fraudis aliquid criminiſve affingetur, ſeu in Atheorum libris evolvendis aliquantulum tem-*

* *Plin. lib. 7. cap. 30. Hiſtor. natur.*
† *Vanin. Exerc. 8. Amphith. in fin.*

temporis me conſumſiſſe, quiſpiam ſuſpicetur. Nam Lutetiæ *cùm eſſem*, *&* Apologiam pro Concilio Tridentino *conſcribendam*, *ſuſcepiſſem ab illuſtriſſimo reverendiſſimoque Domino* Roberto Ubaldino, *Epiſcopo Politiano, ad Chriſtianiſſimum Regem Apoſtolicæ Sedis Nuncio ampliſſimo, quoſvis libros pervolutandi facultatem impetravi.* Elige quæ placent; rejice abſona; & ſi quod in quibuslibet libris neceſſe eſt feceris, ut bonum à malo ſegreges; in ſterquilinio hoc, ut tibi videtur, margaritam invenies. *Plinius* ſanè, Romanæ gentis decus, dicere ſolebat, * *Nullum librum eſſe tam malum, ut non aliqua ex parte prodeſſet.*

Non omnis feret omnia tellus †.

Decerpamus ſpinis relictis roſas; ſeligamus abjectis teſtis margaritas; & diſpulſis mentis nubibus lux clara appareat. *Multos abſolvemus, ſi cœperimus antè judicare quàm iraſci.* ‡ Pejora ſæpius in Gentilium & blaſphemis Rabbinorum, Arabum, Turcarumque libris ſicco pede præteris; præteri ergo, & hunc nec miſerum conculca, qui jam in cineres redactus eſt.

Metii

* *Plin. Jun. in Epiſt. Hiſtor. nat. Plin. præmiſſ.*
† *Virgilius.*
‡ *Senec. lib. 3. cap. 29. de Ira.*

Metii *ſatiabere pœnis*,
Triſte rigor nimius *.

Poſt mortem ferunt ceſſare invidiam; cauſam itaque conſidera, & quem vivum invidi Cenſores combuſſerunt, ejus abſolve manes. Hiſtoriam noſti, numiſmate ſimilem, quod prudentem & ſtultum, mortem & vitam, veluti aſpexeris, demonſtrat: mortem oſtendunt inimici; verte, & vita erit.

Quandoquidem data ſunt ipſis ſua fata ſepulchris †.

Nec Plancus *illepidè*, *cùm diceretur*, Aſinius Pollio *orationes in eum parare*, *quæ ab ipſo aut liberis poſt mortem* Planci *ederentur*, *ne reſpondere poſſet*: Cum mortuis, *dixit*, non niſi larvas luctari. *Quo dicto ſic repercuſſit illas*, *ut apud eruditos nihil impudentius judicares* ‡.

Verùm *leviuſculè reſpondiſſe arguitur* à Merſenno: ⊥ Lutetiæ, inquit, VANINUM *fuiſſe conatum ut* Atheiſmum *profeminaret*, *quippe qui vehementer in* Atheos *prius aſſurgere*, *& eos magnopere deteſtari videbatur*: *id enim verbis acrioribus ſimulabat*: *poſteà velut indignabundus eorum objectiones refere-* RATIO IV.

* *Claudian. Conſulat.* 4.
† *Juvenal. Sat.* x. *v.* 146.
‡ *Plin. lib* 1 *Hiſtor. Nat.*
⊥ *Merſennus in Geneſ. pag.* 671.

ferebat, urgebat, & pro viribus & ingenio inſinuabat, ſuadebàtque, quibus deniquè tàm frivolè & diminutè ſatisfaciebat, ut imperitis, eorumque concuteret animum; ut ipſi ex illis ſolutionibus adeò frigidis judicarent atque concluderent, nullam eſſe rationem, quæ Deum eſſe probaret, eſſe verò plurimas, quæ nullum eſſè Numen evincerent. Adſtat *Gisbertus Voetius*, * ſecurè, ut ſolet, veſtigia *Merſenni* ſui premens, quod *ingenuè* fatetur, *ſed improvidus; quòd enim oraculum ejus ambiguè dixerat*, more à *Seneca* † ſuprà notato, certo certius affirmans, non leviter peccat. Tanti tamen *Spizelio* ‡ futurus, ut *nomine ejus omiſſo, ad verbum eum deſcribere non erubuerit.*

Monitus multùmque monendus,
Ne ſi fortè ſuas repetitum venerit olim,
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum,
Furtivis nudata coloribus ⊥.

Quòd ſi autoritate certandum eſt, veritas hîc patulas porrigere debet manus, ſin ratione hi porrigent.

Non verò tam benè cum rebus humanis geritur, ut meliora pluribus placeant: argumentum peſſimi turba eſt β.

Con-

* *Voetius de Atheïſmo.*
† *Senec. ſupr. pag.* 39.
‡ *Spizel. in Scrutin. Atheïſm. pag.* 19.
⊥ *Horat. lib.* I. *Epiſt.* III.
β *Senec. de Vit. beat. cap.* 2.

Conjecturam conjecturâ oppugnare fas eſſet, ſed in conjectando hos optimos admitto Vates, qui ſcire videntur quid *Rex Reginæ in aurem dixerit, quidve Juno fabulata cum Jove* *. Adeò bellè cogitata VANINI, finem, media interioraque propalant. Quos ſine ulla cura admitterem niſi aliud ſuaderet ratio. De voluntate ejus nihil profero, cùm cordium Scrutator Deus ſit, neque in hac quenquam admitto Judicem. Nam niſi Sole clarius, illa elucet, ſi negare quis ſuſtinet, conjectura ſupereſt, nec nuda quam quærimus veritas. *Rectè alterum æſtimare & judicare nemo poteſt. Nemo enim alterum ſatis novit. Hanc adeò ex me ipſo conjecturam facio* (inquit *Thomas Brown* †) *in tenebris adhuc obſcurus latito, nec me familiares mei & amiciſſimi, niſi multâ nube obvolutum intuentur.* Porro autem nemo alium juſtè æſtimare poteſt, quia nemo ſe ipſum novit. Alios enim reprehendimus, quatenus ab eo diſcrepant, quod in nobiſmet ipſis laudabile judicamus, & laudamus, in quantum conſonant. Hæc omnia hùc ſcilicet redeunt, nihil aliud eſt, quam quòd omnes unum damnamus *philautiâ*.

O miſeras hominum mentes! ô pectora cæca! ‡

* *Plautus.*

† *Th. Brown, in* Religione Medici, *ſive* Medico Religionis, *ut in MS.*

‡ *Lucretius, lib.* 2. *v.* 14.

Neque verò imminens periculum mihi tanti eſt, licet Atlas novis ſuis perierit machinis, ut inde cuiquam interitum timeam, neque ejus debilitate multorum vires collabi credam. Si ſolus eſſet, & unicus in tam excelſa materia Scriptor, ipſe non omnì periculo hoc genus Scripturæ vacare dicerem. Sed habemus improbo ſummorum virorum labore, librorum variorum molem, quâ peſtis illa conculcata eſt. Hanc dum diurnâ nocturnâque verſamur manu, nova VANINI argumentorum ſtructura ad inquirendum, ſi non ad probandum perjucunda eſt. Legi relegique librum ipſe imperitus, nec hanc quidem ſuſpicionem mihi ſubortam memini. Sed, mox rationes ejus videamus, quid monſtri alant. Hîc adhuc quærendum eſt, *cur nova omnia ſugillent?* ignarus hæreo, niſi quòd *nova omnia*, iis *ſuſpecta ſint*. Attamen *Merſennus* * quoque *ex omnium ſcientiarum generibus*, *Arithmetica*, *Geometria*, *Aſtrologia*, *Mechanicis*, *divinationumque generibus*, *novâ*, & minus tritâ, ni fallor *methodo*, *Deum* probavit. Quin & argumenta Scholaſticorum quædam non dicam vana, ſed minus firma contineant.

His penſitatis acutius, quid ſubſtituere & nævis emendatis ſolidiora dare optavit.

Hoc

* *Merſennus ad Geneſin.*

Hoc leviter in chartam conjiciebat, majora tritaque, ut fit, amplo ingenio complexus, Lectorem eruditum ſibi depoſcens. Si itaque talem habebit, huic aut ſcripta ſatisfacient, aut ipſe ſubveniendo ſatisfaciet ſcriptis. Sin minus doctus eſt, diſplicentque illi ea, ad priora argumenta redire licebit, & Scholaſticorum dapibus ad nauſeam ſatur eſſe poterit: *ſimiles* namque *amant labra lactucas. Exorat ipſe, ne in omnibus ſequi velis, ſed in iis tantùm, in quibus rectè ſenſiſſe, nec à vero putas exorbitaſſe.* * Liberum igitur cuivis ſervat judicium, in quantum ex his ſcriptis judicare licet. Multa enim periiſſe, ſuprà notavi, quæ toties in rebus magni momenti citat.

Poſtquam fabulas *Juſtini* Hiſtorici de Judæis *Moſe*que retulit, *ipſiſſima mendacia eſſe in noſtra* Apologia demonſtravimus, † *Trigonorum fabellis*, ‡ *Pomponatio de Intelligentiis* ⊥ *Sybillarumque Vaticiniis* € *eâdem* Apologiâ *ſe ſatisfeciſſe* dicit. At illa neſcio quo fato periit. Plurima ſuperſunt loca, quibus in reliquis ſcriptis reſpondit. Sunt tamen qui ea, quæ nôrunt, & quæ ignorant, ſimul rejiciunt.

* *Vanin. in Præfat. Amphith.*
† *Dialog.* 51. *pag.* 361.
‡ *Exerc.* 8. *pag.* 64. *Amphith.*
⊥ *Exerc.* 6. *pag.* 38.
€ *Exerc.* 7. *pag.* 43.

Novis ita Atlas exploditur machinis. Sed! quis ille Atlas quâ ſuffarcinatus famâ? Judice quidem *Salmaſio*, *quo majore nominis famâ ſuffarcinati ſunt, qui curas ſuas publicant, eo majore pernicie Reipublicæ literariæ peccant, ſi quando ipſis, ut peccent uſu venit.* Talem autem in VANINO non invenio, qualem fingunt Atlantem; ſed pauperculum Philoſophum, qui noſtro ſe judicio ſiſtit.

Sanè, ſi verum eſt, quod *Statium Cæcilium* in ſuis poëmatibus ſcripſiſſe dicunt, *innocentiam eloquentiam eſſe*, * eâ ratione illum eloquentiſſimum profiteor, in reliquis dubito. *Voetius* vocat *virum conſummatiſſimum & doctiſſimum* † Autor *Mercurii Gallici* ‡ inquit: *un Philoſophe grandement docte.* Sed *Guido Patinus*, Vir apud Gallos doctus, ſuâ linguâ ⊥ dicit: *Il faiſoit le Savant, & ne l'étoit point.* Sic non Atlas, ſi ipſe perierit, interit, ſed homo in mediis cadit ſubſelliis. Pergit *Patinus*: *Tout ſon Livre* de Arcanis Naturæ Dialogi *eſt derobé de* Scaliger in Cardanum, *de* Fracaſtor *& de* Pomponace. Rectè de *Fracaſtorio* monet. Eum enim VANINUS € *virum doctiſſimum* vocat, *à quo multa didicit*,

* *Apulej. in Apolog.*
† *Voetius de Atheïſmo.*
‡ *Merc. Gall. loc. cit.*
⊥ *Patin. pag. 44.*
€ *Vanin. Dial. 26. de Arc. Nat.*

dicit, *intellectui ſuo jucundiſſima*; & de *Pomponatio*, quem * *Philoſophum acutiſſimum* & *Divinum Præceptorem* dicit. Sed pro *Scaligero* mallem ipſum nominaſſet *Cardanum*. † Hic enim ei *magni nominis Philoſophus*, ‡ *ſubtilitatum Profeſſor optimè de ſe meritus*, ⊥ *Mediolanenſium Philoſophorum Deus*, Ϭ *cui multum Aſtrologorum Reſpublica debet*, γ *Vir in literis tantus & virtutis adeo ſpectatæ, ut perpauca ei defuerint ad perfectam omnium ſcientiarum eruditionem.*

Qui tamen ab eruditionis defectu excuſationem petere potuiſſet, ratione periit. Nam dum eâ ſolâ nititur, nec S. Scripturam in partes vocat, quam homunciones impii negligunt, eum ipſum pravum judicium in ipſa victoria occidit. Eſt genus hominum, quod quæ non dicimus, nos ignorare credit, & recuſantes lyras indoctiores habet. Hinc Enthymema torquent: *Hic S. Scripturâ non uſus eſt*; *ergo ignoravit: qui S. Scripturam ignorat*, *ignorat Deum*; *ergo eſt Atheus*. *Contorta* hæc ſunt & *aculeata ſophiſmata*, ſic enim ap-

D 3 pel-

* *Vanin. Dial.* 48. *pag.* 311. *Exerc.* 6. *pag.* 36. *Amphith.*

† *Dial.* 12.

‡ *Dial.* 2.

⊥ *Dial.* 48. *pag.* 316. *de Arc. Nat.*

Ϭ *Vanin. Exercit.* 6. *pag.* 41.

γ *Exercit.* 5. *pag.* 21. *Amphith.*

pellantur *fallaces concluſiunculæ.* * Vide quanta ſubtilitas & ſcientia, quanta ejus vis! Jam altera *Circe* Dialectica eſt. In aſinos eos convertit. Nihil certius. Pontem ſtruxere in medio ſcientiæ ſuæ, quem *aſinorum pontem* vocant. *An non digni ſunt avenâ propter præclarum inventum?* † Sic ars ſophiſtica arcana indagat, fucata ars artium, perverſæ ars rationis, quam ut inveniret, quoties, eia! Philoſophus ſupercilia frontemque contraxit; calamum ori indidit,

Et ſæpè immeritos corrupit dentibus ungues ‡.

Sed ſuo hos abundare ſenſu patiamur:

Gens ratione furens, & mentem paſta chimæris ‖,

& hanc ſtructuram argumenti in ſe corruere credamus. Attamen dum & leviora quædam & abſurda dicta per ſe corruere credidit VANINUS, ſegniter reſpondiſſe inſimulatur.

Sæpius ex præſcripto *Ariſtotelis*, *Sapientis Officium non eſſe* duxit, *ſtultas pertinacias inſectari.* Hinc dum minuta non ſequitur, & *non aquila*, ut dici ſolet, *captat*

* *Cic. Academ. quæſt. lib.* 2. *pag.* 17.
† *Sanchez*, nihil ſcitur, *pag.* 159.
‡ *Propert. lib.* 2. *Eleg.* 4.
‖ *Patin. Epiſt.* 297.

ptat muſcas, animo quidam malevolo feciſſe divinant. Conjectura hæc ſuperſtitionem ſapit illum ipſum, quem ſpernimus, noſtrum credere victorem. *Equus non curat latratus canum; ergo cani eſt inferior.* VANINUS *non curavit leviores quoſdam inſultus Atheorum; ergo inferior Atheïs, imò Atheus*; utrumque falſum eſſe dicerem. Sed audiamus doctiſſimum *Barlæum: Rem*, inquit, * *quod attinet*, *ita judico illum felicius cordatiuſque philoſophari quàm res ſacras aſſerere. Probanda ſumit religionis capita*, *ſed non iis ſemper argumentis*, *quibus ea fulciri fas eſt. Frigida probatio tacitæ improbationi vicinior eſt. Hoc etiam agit*, *ut paradoxa ſubinde adſtruat. Sed additâ ſalutari clauſulâ*, niſi Eccleſia Romana aliter ſtatuat. *Hanc toties aggerit tamque ſollicitè*, *ut ſuopte judicio videri poſſit heterodoxa adſtruere. Meticuloſæ illæ limitationes & cautelæ animi ſigna ſunt ſibi malè conſcii & prævaricantis.* Criminationes haſce propemodum admitterem, cùm nulla harum arguat *Atheum*. Capita non argumentis, quibus fulcire poterat, probanda ſumit; nam nova ſuaque ſeligit, reliqua vulgata nota eſſe ſibi perſuadens. Frigida probatio, ſi quæ eſt, non facit hoſtem, nec indicat animum malè conſcium & prævaricantem. *Claudium Salma-*

D 4 *ſium*

* *Barl. Epiſt. 162.*

ſium cauſam regiam adverſus *Miltonum*, Populumque Anglicanum minus acriter egiſſe, à multis audio: ſed nunquam eum Regis hoſtibus à quopiam accenſeri memini. Si defuit VANINUS officio, cenſuram meruit: ſed hoſtem & Deum, quem propugnabat, negaſſe dicere, hinc non ſequitur. Limitationes Cl. *Barlæus* arguit. Enimverò ad conſenſum noſtrum tantum abeſt, ut potius rectè & providè Romano-Catholicum eas adjungere contendam, non quòd heterodoxa adſtruat, ſed quòd nova. Nam illa via doctrinæ minimè vulgaris ad honores, ſi benè ceſſerit; ſin malè, ad rogum itur. Ut viſum eſt ſuperis: *Inquiſitionem* enim *Aönius Palearius* * ſicam diſtrictam in Literatos dixit.

Qui itaque emergere cupit altius, invidiam ut declinet proſpiciat. *Minoïs Labyrintho* ſe Philoſophia aſſimilat; in hoc ingreſſus terribilis *Minotaurus* metuendus, ne non occidat. Quod ipſe voluit, cùm omnia ſua Placitis ſubjiceret Eccleſiæ, & ita proponeret, *niſi Eccleſia Romana aliter ſtatuat.* Multi eo modo leviore notati cenſurâ, imminens declinarunt periculum, & revocatione quâdam incolumes dimiſſi ſunt. Has clauſulas, licet ſollicitè ſatis intermiſceat, tantum affuit ut iis evaſerit, quin &

* *Thuan. lib.* 38. *Hiſtor. in princ. p. m.* 779.

& omnium ferè dum meticuloſas credunt, cenſuram meruerit.

Tandem accedit accuſatoribus *Morhofius*, * *Cimbriæ* ſuæ decus: Vaninus, inquiens, *perpetuo* Dialogo *inter ſe &* Pomponatium *ſermonem inſtituit. Ita enim ſolent procedere hujus nequitiæ Profeſſores ob reciproci nominis involucrum cùm objectiones inimicis objiciunt, doctrinæ ſuæ interiora proponunt. Moventur illic dubia & ſegniter reſpondetur dum vel ad autoritatem, vel ad alia argumenta dubiis inferiora confugiunt.* Neſcio cur *Pomponatium* Collocutorem ejus eſſe velit, non magis quàm cur *Alexandri Magni* Collocutorem fingat *Garaſſus*: † cùm nullo modo neceſſe ſit, ut in *Dialogo* certa deſignetur perſona. De *Dialogorum* natura ‡ jam non diſquiro. An & objectiones adverſariorum Autori tribuendæ ſint? quod minimè videtur, cùm Autor, qui utramque perſonam ſuſtinet, contraria aſſeruiſſe dici poſſet. Hoc in iis omnibus, quos hic noſter ſibi Autores habet, non faciet quiſpiam, qui in *Dialogis* ſcribendis operam collocarunt. Reliqua brevitatis ſtudio, ut leviora, prætermittam. Qualis eſt illa diſquiſitio, *quantum autoritas apud Pontificios valeat?*

D 5 Sed

* *Morhof. in MS. de Hiſtor. Literar.*

† *Garaſſe, Doctrine curieuſe, lib.* 1. *pag.* 43.

‡ *Carol. Sigonius de Dialogo, ex edit. Jeſſenii à Jeſſen.*

Sed ipſa argumenta *dubiis*, ut vocant, *inferiora* proponam, ſive proponant adverſarii, in quibus * Anonymo provinciam tradam. Arguit primò, *quòd argumentum à motu & primo Motore, Exerc. I. rejecerit, eo tamen Exerc. V. uſus ſit.* Veri ſpeciem habet, ingenium pro Deo & contra eum exercere laboraſſe. At neutiquam ſibi contrarius eſt, argumentum ab inveſtigatione vulgari motus cur rejecerit, en ejus verba: *Non,* † inquit, *primi mobilis motor Deus eſt, ſiquidem primum movens finitum eſt eſſentiæ circumſcriptione & finitum potentia. Quare etiam* (pergit) *ſi naturali indagatione devenero ad motorem primum, nondum intelligam per motum Deum eſſe, ſed inveſtigatione tranſnaturali hunc ad modum:* Omne ens eſt vel finitum, vel infinitum; nullum ens finitum à ſe; prima intelligentia eſt finita; igitur non à ſe: *Finitam eſſe per ipſam demonſtramus actionem, quæ tum una, tum finita eſt, non quidem tempore, ſed poteſtate atque officio; itaque & primam cognoſco, & non eſſe Deum; neque enim ejus motus rerum omnium effector eſt. At Deus omnium effector, quocirca non per motum, ſed primas entis partitiones à nobis cognoſci Deum eſſe; & neceſſariâ quidem demonſtratione. Nam omne ens aut æternum, aut temporarium: ſi in tempore, ergo*

* *Unſchuldige Nachrichten*, 1702. *den* 19. *Sontag.*
† *Vanin. Exerc.* V. *Amphith.*

ergo habuit initium : non potuit igitur ſe ipſum producere ; fuiſſet enim antequàm eſſet. Cùmque entium exordium perſpiciamus, oportet concedere ens æternum, à quo ducant originem, aliàs non eſſet æternum ens, ſed aliquando inchoatum, & ſic nihil eſſet; atqui nihil eſſe impoſſibile eſt. Ens igitur æternum eſſe neceſſarium eſt. Jam cùm Deum agnoſcamus, quæritur: Num ejus providentiam poſſimus ex motu cælorum ad inferiora ordinato probare, etiamſi *Averroïs* argumentum de motu in demonſtrando Deo ſit labefactatum? Licet enim ex motu per ſe cognoſcamus Deum, multis eum & innumeris rebus cognoſcimus. Habemus igitur Deum, & novimus: jam ne *Epicureorum* inſtar eum colamus, quòd provideat omnia, & quòd noſtra ei curæ ſint, proſpiciendum eſt. At tum Solis ſtellarumque immutabilis motus, tum ordo rerum admirabilis autoris ſui providentiam curamque certo certius demonſtrant.

Nec quicquam in tanta magis eſt mirabile mole
Quàm ratio, & certis quòd legibus omnia parent,
Nuſquam turba nocet; nihil ullis partibus errat
Laxius & levius, mutatoque ordine fertur.
Quid tam confuſum ſpecie, quid tam vice certum eſt,
Ac mihi tam præſens ratio non ulla videtur
Quà pateat mundum divino Numine verti,
Atque ipſum eſſe Deum, nec fortè coiſſe magiſtra. *

Nulla

* *Manilius Aſtron. lib.* 1. *pag.* 15.

Nulla ergo hic contrarietas, & qui directè non probat Deum, probat exinde Providentiam ejus & indirectè ſummum Numen. In quibus *Platonem*, ſummum virum, ſequitur, cujus ſententiam expoſuerunt *Alcinous* *, *Numenius* †, *Beſſarion* ‡, *Marſilius Ficinus* ⊥, qui accuratè VANINUM propugnant.

Ac licet à *Peripateticis*, ut everteret hoc argumentum, occaſionem ei datam ipſi adverſarii agnoſcant, neque tamen largiri volunt ipſum feliciter hac in re verſatum, qui entis partitiones & inveſtigationem ex *Cabala* petiit. Jam autem monui acutiſſimas rationes Theologorum in demonſtrando Deo addi poſſe, β *dum nova ei omnia ſeligere placuit, & in iis, quæ deerant, aliquid ut de ſuo adderet curavit.* Studium per ſe Caballiſticum ne primâ fronte, quæſo, damna.

Non VANINI, ſed *Reuchlini*, ſed *Pici Mirandulæ*, ſummorumque virorum cauſa agitur. *Picus* inquit: γ *Nulla eſt ſcientia, quæ nos magis certificet de Divinitate* CHRISTI, *quàm Magia & Cabala.* Jam ſi Chriſti Divinitatem probat, cur non

* *Alcinous, cap.* 9. *Inſtit. ad Doctr. Platon.*
† *Numen. citat. Euſeb. lib.* XI. *cap.* 10. *Præpar. Evang.*
‡ *Beſſar. lib.* 3. *cap.* 2. *in Calumn. Platon.*
⊥ *Ficin. in Timæum.*
β *Vanin. Exerc.* 8. *pag.* 50. *Amphith.*
γ *Picus Mirand. Concl.* IX. *Magic.*

non & ſummum Numen, cujus Salvator noſter perſona eſt? Neque verò numeris quòd impendit, ſtudium impium dixeris. *Pythagoræi* propago quaſi quædam Cabalæ Judaicæ, (etſi *Pythagoram*, neque *Ezechielem* Prophetam, neque Judæum crediderim) quantum cum *Platonicis* numeris tribuerint, in propatulo eſt: neque injucundè alii Theologiæ adhibuerunt. Quin ipſe *Merſennus*, toties à vobis commendatus, ex * *Arithmetica*, *Geometria*, *mechanicis*, & *divinationum generibus*, idem tentarit. Quod alteri laudi eſſe, alteri vitio verti ſine injuria, non poteſt.

Quatuor ſuperſunt argumenta, quorum quidem duo *de Oraculis & Sibyllis* minimè utilia: duo *de Creatione Mundi & Miraculis* enervata ab *Anonymo* † noſtro dicuntur. Videamus. Eccleſiæ Patres viri ſanctiſſimi iis uſi ſunt, certè non inutilibus. Evolvite, quæſo, *Juſtinum Martyrem*, ‡ quomodo Ethnicos invitet, ut Sibyllæ credant. Sic in Sibyllinis carminibus *Auguſtinus* ⊥ & *Euſebius* ß, ſe inveniſſe gaudent ex computatione priorum literarum,

JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SERVATOR, CRUXS.

Quos

* *Merſennus in Geneſin.*

† *Unſchuldige Nachrichten.*

‡ *Juſtin. in Apolog.*

⊥ *Auguſtin. de Civit. Dei*, *lib.* 18. *cap.* 23.

ß *Euſeb. in Vit. Conſtant.*

Quos alii multi ſecuti ſunt, neque inutile illud argumentum putârunt; quod aliis ſuſpectum eſt, qui Sibyllina carmina, ut hodie inveniuntur, ſecundo poſt CHRISTUM ſeculo demum conficta cenſent. Qua de re lites inter *Iſaacum Voſſium* & *Joannem Craſſet* ex una parte, ex altera verò *Davidem Blondellum*, *Thomam Reineſium*, *Richardum Simonem*, *Joannem Marckium*, *Joannem Reiskium*, & *Servatium Gallæum* obortæ ſunt. At ſi nec illud argumentum inutile fuit, minus certè hæc tractandi ratio, quâ ex oraculis & Sibyllis divinum quid ſupra naturam adſtruit. Eò magis admittendum, quòd eos ipſos, qui omnia eum ad naturam retuliſſe arguunt, hoc confundat. Sed *ſcrupulis quibuſdam hærere* dicit citatus *Autor*. Quibus, quæſo? Quoniam cramben recoquere noluit, *ſcrupulis quibuſdam hæret*. *Abundè enim admodum ſuper hac quæſtione diſſeruiſſe in* Apologia *pro Moſaica & Chriſtiana lege* * dicit. Sed, quid ibi dixerit ignoramus: ergo quoniam ſemel tantùm adverſarios profligavit, iis eſt inferior? De incognitis judicare, & anecdota arguere, pruritu quodam lëviore fieri judico, quàm ut facilè quiſquam ei credere poſſit. Nam me judice *Apologiam* illam *pro Moſaicæ & Chriſtianæ Legis Veritate*

* *Vanin. Amphith. pag.* 38. *&* 43.

ritate non habuit, & ſi habuiſſet, novi hominem, rariſſimi libri mentionem feciſſet.

Nam pulchrum eſt digito ſignari, & dicier, hic eſt. *

Quare quouſque nondùm ex *Apologia* illa aliquid profani erit expoſitum, VANINUM hac in parte liberum ab Atheïſmo, veniâ ejus, pronuntio.

Neque enervavit creationem mundi, parcior infelix, quòd vulgata doctis ſatis cognita crederet. *Placuit enim ei nova ſeligere omnia, ut cordatus Lector æquè poterit æſtimare, & quid ad hoc Athei reſpondeant, cùm nulli hactenus id aggreſſi ſunt, operis inveſtigandum duxit.* †

Venenum noſſe Medici eſt; ſed admonitus, ne ori admoveat, prohibetur. Si venenum hîc appoſitum eſt, non enervat res præclaras, ſed, ut ipſe rejicit, quiſque monitus noſcat & rejiciat. Miraculum, quod hic examinat Atheus, quale eſt? ſancti eſt; ergo miracula ejus non ſubjiciuntur examini? Aſtrologiæ ſi quid impendit ſtudium, ne damni ſit, infrà curabimus. Jam nec *Atheum* in iis dicere velim, niſi malevolus ſim, qui mala omnia ei, bona cauſis, neſcio quibus, tri-

* *Perſius*, *Sat.* 1.

† *Vanin. Exerc.* 8. *Amphith. pag.* 50.

tribuat, & * *animi oſtentandi gratiâ optima protuliſſe arguat.*

Deſinant maledicere, maleſacta ne noſcant ſua. †

Ratio V. Verùm nova iterum *Gramondus* ſuggerit crimina; *Chriſti*, inquiens, *humanitatem execrabatur.* Liberti illius *Auguſti* verbis paululum immutatis, ut reſpondeam.

Quod ſi accuſator alius Gramondo *foret,*
Si teſtis alius, judex alius denique,
Dignum faterer eſſe eum tantis malis;
Nec his dolorem delinirem remediis. ‡

Neque enim vola de ea Salvatoris noſtri contumelia, nec veſtigium in ſcriptis Vanini extat: ſed nititur rumore incerto illo, quod Franciſcanum in extremis, in quibus vix mentis compos erat, contemptui habuerit. Quæ fides autem rumori!

Bellua multorum eſt capitum: nam quid ſequar, aut quem. ⊥

Aut quænam actio inſani in jure legitima habetur!

Ratio VI. At longè impudentius alter obgannit, docuiſſe *Virginem Deiparam copulâ carnali, ut reliquæ fæminæ, cognoviſſe virum.* β

Ne

* *Unſchuldige Nachrichten*, *pag.* 641.
† *Terent. Prolog. Andr.*
‡ *Phædrus*, *libr.* III. *Prolog.*
⊥ *Hor. lib.* I. *Ep.* I.
β *Mercur. Gall. tom.* 5.

Ne fando hoc apud alios auditum eſt, niſi quod *Eraſmus Franciſci* ruminari voluerit illepidam Fabulam. Qui cùm alterius ore loquatur, vaniloquium cum ſuo putamus autore. Solus ille dicere audet *blaſphemum*, quod cum illo neſcio quo, nec ullâ ratione nitatur fabulam, nedum mendacium dixerim. Nec mihi fides illius Lucifugæ tanta: nam libenter nuper uſque albus an ater eſſet Autor ignoravi. Nec adhuc, herculè, ſatis novi. Id adeò factum, quòd ille obſcurus, & ego in diſcendo occupatus fui.

Sed majora nos vocant, ut videamus, an præter verum Deum, quem agnoviſſe aſſeruimus, *Naturam habuerit Deam*. Quod pro multis aliis urget eruditus *Morhofius* *: VANINI, inquit, *Dialogi, illud Atheïſmi virus, ſub Dialogorum forma legunt, in quorum titulo diſertis verbis* Natura Dea & Regina *dicitur, quæ in privilegio regio* (quod mirum) *repetitur.* RATIO VII.

Primùm, quoad titulum, excuſatione uti poſſet VANINUS, quòd non verba titulo ſe autore impoſita ſint, ſed à duobus viris, quos Typographum adhibuiſſe ſuprà † monuimus. Neque tamen hæc ſufficiant, ſed vi ipſâ nominis abſolvendus erit. Non enim eâ voce ſemper JEHOVA Deus triunus appellatur, ſed & di-

 gnis

* *Morhof. loco citato.*

† *Suprà, pag.* 10.

gnis rebus & excellentibus viris fuit olim indita. *Moſes* ipſe, divinus Philoſophus, Primates Populi *Deos* ſalutat *, & ex *Paulo* ſcimus, *Deos eſſe & Dominos multos* †. Quin etiam ſi Latinæ Linguæ fontes adimus, quid *Deus* iis fuerit, quid *Divus*, & pueri nôrunt, quo titulo & poſtremis temporibus flagitioſi ſæpius mundi latrones uſi ſunt. Chriſtianis quidem vox ſancta ſit; non tamen libertatem philoſophandi & Linguâ Latinâ utendi tollit Religio.

Quòd ſi rebus dignis ſine blaſphemia divinum adjicitur; quod ſi hominibus contingit, quantò magis Naturæ *Reginæ* nomine *Deæ* addito, indicans, nihil ſi ultra humanum captum tribuere Naturæ, ultra quem Deus eſt; ac ſi dixiſſet, *Reginam Dominamque mortalium*, uti *ſapientiam* compellat. ‡ Neque adeò in uſu nominis unquam anxius fuit, ut & ⊥ *Audaciam*, & *Eruditionem*, *Deos* vocaret, & *Salomonem* ab Hebræis *Deum*, & à ſe *Ariſtotelem Philoſophorum Deum* haberi diceret. Et ſic Philoſophis uſitatum verbum multa, quæ jam non refero, comprobant. Unum illud addo, quod *Gabriel Naudæus*, vir doctiſſimus, *Fracaſtorios*, & *Scaligeros*, β *Deos*;

* *Conf. Exod.* 23. *v.* 6. *Pſalm.* 82. *v.* 6. *Job.* 10. *v.* 14.
† 1 *Corinth.* 8. *v.* 5.
‡ *Vanin. in Præfat. Amphith.*
⊥ *Vanin.* Exercitat. 28. *pag.* 172. *Dialog.* 16. *pag.* 91.
β *Naud. in judic. Oper.* Niphi *præmiſſo.*

Deos, de *Nipho* agens, uti Theologus * optimæ notæ; *Michaelis* † *Bartolinum Medicorum Deum* dixerint. Deſinat itaque eruditiſſimus *Morhofius* mirari, *Deæ* verbum in privilegio regio repetitum, cùm ex VANINI ipſius ſcriptis conſtet, ipſum per ‡ *Naturam* intelligere *poteſtatem* Dei *ad motus omnes ordinarios*. Verbo itaque illo nunquam improvidus ſibi novos finxit *Deos*, *Deam*que, ut & *Gramondus* ⊥ malè arguit, blandiente ſtylo adjiciens, *Naturam pro matre optima & omnium auctrice adorabat*. Cui accedit *Roſſettus*, β *Naturæ* aſſerens *tribuiſſe*, *quod Creatoris erat*. Cum *Spizelio* : γ *Nihil eis ſupra Naturam eſſe videtur*, *veluti ſceleſtus ille Atheïſmi Apoſtolus*, JULIUS CÆSAR VANINUS, libro *de Admirandis Naturæ*, *Reginæ Deæque mortalium*, *Arcanis*, *id egit unicè*.

Bona verba, quæſo.

Ecquandone vidiſtis flammam ſtipulâ exortam, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento? Sed enim materiâ levi, caduco incendio, nullis reliquiis? Hem,

 tibi

* *Wolf. de Amulet.*
† *Ad Gaſſarell. Not.* 98. *pag.* 423.
‡ *Vanin. Exerc.* 42. *pag.* 285.
⊥ *Gramondus in Hiſt. Gall.*
β *Roſſet*, *Hiſtoire tragique.*
γ *Spizel. de Atheïſmo eradicando*, *pag.* 51.

tibi illa accuſatio ſit, jurgiis inita, verbis aucta, argumentis defecta, nullis calumniæ reliquiis permanſura. * Neque Creatoris opera creaturæ tribuit, ſed divina ſupra Naturam agnovit. Divina, & quæ ſupra Naturam ſunt, rarius attigit; ſed cùm de iis dicendi fuit occaſio debita, id egit reverentiâ. Sic de reſurrectione *Lazari:* † *Quapropter*, inquit, *Dei Filius & Deus ipſe, ne perfidi Hebræi calumniari poſſent* Lazarum *non verè mortuum fuiſſe, ſed herculeo morbo correptum, illum quatriduanum in vitam poſtliminio revocavit. Siquidem expleto ſeptuaginta horarum ſpatio humores ſiſti contingit, quòd Luna eo temporis ſpatio unum Zodiaci ſignum peregerit, cujus vi humorum decurſus in corporibus perficitur.* Hoc miraculum & alia ſanè ipſi ſupra Naturam fuerunt. Sed de Ethnicis mentione factâ, aliquantulum plus aliis tribuit Naturæ, qua in re ſummos viros autores habet, *quorum* (ut *Terentiano* verbo utar, ‡

Æmulari exoptat negligentiam
Potius quàm iſtorum obſcuram diligentiam.

Si pleraque miranda Gentilium Naturæ adſcripſit quiſpiam, an pietati decedit quic-

* *Apulej. in Apol.*
† *Vanin. Dialog.* 58. *pag.* 467.
‡ *Terent. Prolog. Andr.*

quicquam, ſive Natura ei, ſive Diabolus Religionis autor? Niſi idem forſan ex Naturæ cultu, de ſalute Ethnicorum vellet eſſe ſollicitus, uti * *Eduardus Herbertus* & † *Joannes Bodinus.* Hujus ne arguas VANINUM, qui in hoc libro, ne Theologiæ tangat limites, ſuperſtitioſè cavet.

Neque omnia promiſcuè Naturæ viribus peragi aſſeruit, *ſed in quibuſdam Naturam* adſcivit. Adſciſcat alter Diabolum, nemo eorum, me judice, erit *Atheus*, nemo negabit Deum, nec Religionis pietatem. Sive enim Naturam, ſive Dæmonem Gentiles coluerunt, utroque modo idololatriæ crimine tenentur. Verumtamen alius ‡ forſan *miracula*, *oſtenta*, *&* *prodigia* tolli objiciet, *ſi omnia Naturæ ſeu fictionibus Principum tribuantur*, quod primum in *Machiavello* crimen! Sed de Politico Florentino hac in parte, tutos nos præſtat cl. *Conringius*: ⊥ *Perquam pauci*, inquiens, *Hiſtorici illam diviniorem cauſam juſtâ commemoratione perſequi ſolent, quidam de induſtria hoc videntur agere ut excutiant Lectorum animis divini curam: quod*

 tamen

* *Herbert. de Cherbury, Vir doct. de Veritate & Religione Gentilium.*

† *Bodin. in MS. de Rerum Sublimium Arcanis.*

‡ *Merſennus ad Geneſ. pag.* 383.

⊥ *Conring. de Civil. Prud. cap.* 14.

tamen Machiavellus, *minimè omnium cæteroquin religioſus, advertere potuit.*

Omnia ad Naturam retuliſſe VANINUM, jam negavi. *Neque oracula*, inquit, * *naturaliter eſſe quiſpiam auſit aſſeverare, cùm Naturæ longè excedant vires; ab aliqua ergo ſubſtantia ſupernaturali prædita facultate, cujus permiſſu illa edita fuerint.* Miracula etiam ſupra Naturam ſunt, quæ nunquam ad Naturam traducere tentavit. Miranda, & quæ Diabolus agit, Naturæ ſunt opera, quæ ſeparata jungens noſtræ illudit mentis debilitati: *Diabolus*, inquit VANINUS, † *ex noſtra ſententia miracula operari nullatenus valet, ſed illuſiones tantummodò mendaciis doliſque refertiſſimas. Geſticulator* ‡ *egregius, qui corporis celeritate tarda graviaque corpora ſuperans, ingenia noſtra exercet.* At ſi nec cani propter olfactum, aquilæ propter viſum, cervo propter celeritatem, aliquid ſtupendi tribuimus, huic quoque ſcribendi limites, ne Diabolo majora vero demus.

Sed ut firmius probem, VANINUM non eſſe everſorem & hoſtem miraculorum, oſtentorum, prodigiorumque, duplex via in ſcrutandis rebus conciliare eum cum hoſtibus poterit. Nam ſi prodigium evenit,

* *Vanin. Exerc. 6. pag.* 35.
† *Vanin. Exerc.* 8. *pag.* 58.
‡ *Auguſtin. de Divinat. Dæmon.*

evenit, Naturæ ſcrutator inquiret cauſas naturales; aruſpex quid portendat. VANINUS rimatur Naturam cauſaſque: qui arguit eum, ſit aruſpex, & quid boni malive ferant dicat: portenta ſuo ſic erunt in pretio.

Exemplo propoſitum probabo meum. *Ferunt* (inquit *Plutarchus* *) *aliquando arietis caput cum unico cornu ad* Periclem *fuiſſe ex agro delatum, ac Vatem* Lamponem *ut cornu validum conſpexit & firmum mediâ enatum fronte, duarum dixiſſe, quæ tunc in urbe erant factionum,* Thucydidis *&* Periclis *potentiam ad unum delatum iri, apud quem hoc prodigium eveniſſet.* Anaxagoram *verò cùm os capitis diſſecuiſſet, monſtraſſe, non complêſſe cerebrum ſedem ſuam, ſed ovi modo acutum ex tota teſta devolutum eo loci, unde originem radix è cornu duceret. Atque in præſentia habuerunt in admiratione, qui intererant* Anaxagoram *brevi poſt* Lamponem, *cùm opibus fractis* Thucydidis *Reſpublica in* Periclis *manu recidiſſet. Poterat verò rectè uterque conjeciſſe tam Phyſicus quàm Vates; alter, qui cauſam, alter, qui exitum probè eſt aſſecutus: illius enim erat munus, unde proveniſſet, & quemadmodum eſſet natum contemplari; hujus ad quid genitum eſſet, & quid portenderet pronuntiare. Qui autem cauſæ inventionem abo-*

E 4 *litionem*

* *Plutarch. in* Pericle.

litionem autumant oſtenti eſſe, hi non conſiderant ſe unà cum cœleſtibus irrita artificialia ſigna reddere: Diſcorum crepitum, pharorum lumen, gnomonis umbram, quæ certa ex cauſa & opificio ad certam demonſtrandam rem ſunt ſingula parata.

Darem jam compendium libri IV. ut vocant, *ſubtiliſſimi, de Arcanis Naturæ*, ut aliorum Philoſophorum Placitis & rationibus illuſtrarem aut improbarem ſententias, quas ibi *de apparitionibus in aëre, Oraculis, Sibyllis, Dæmoniacis, Ethnicorum ſacris imaginibus, auguriis, valetudinum curatione, mortuorum reſurrectione, faſcinationibus, inſomniis* infœlix propoſuit, ſed ad declinandam ulterioris orationis invidiam nullam hîc necto moram.

Vulgaris illa opinio eſt, quod iis ipſis qui tantos progreſſus in Natura cognoſcenda fecerunt, ratio ſæpius de divinis miraculis ſuſpicionem injiciat. Nam ratio fidei rebellat, affectus rationi: quæ fides cenſuit ratio improbat: quæ ratio ſtatuit averſatur affectus, & tum hujus, tum illius ſententiæ refragatur ratio. * Quilibet autem, ſive doctus, ſive minus doctus fuerit, rationem ut ſub fide captivet opus habet: in militante hac noſtra Eccleſia ſemper pugnandum: *arma, Viri; divina ferte arma.* Multò tamen magis Natu-

* *Brown in Relig. Med. pag. 68.*

Naturæ Myſtes divina agnoſcit, & quæ ſupra Naturam ſunt, dum indoctus ſpeciem quandam idololatriæ committit accenſendo opera naturæ divinis. Intereà Antiſtites illi, purâ licet mente Deum colant, odio quorundam neſcio quomodo ſunt maximè expoſiti. Qua de re, ſi eorum mentio fit, falſum ſæpius pro vero eſt. Nuper me legiſſe * recordor, *Pomponatium Philoſophum Peripateticum* Lazari *reſurrectionem, ut naturalem, traduxiſſe.* Admiſi donec planè mihi contrarium ex ipſius libro *de Incantationibus* innoteſceret, ubi inquit: † *Quanquam aliqua, quæ referuntur eſſe facta, tam in Hiſtoria Legis* MOSIS *quàm Legis* CHRISTI, *ſuperficialiter reduci poſſunt in cauſam naturalem, tamen multa ſunt, quæ minimè in talem cauſam reduci poſſunt. Veluti eſt de reſurrectione* Lazari *quatriduani & jam fœtentis, de* Cæco à nativitate *illuminato.* Mox pergit: *& ſic ferè de infinitis aliis, quorum nullum poteſt reduci ad cauſam naturalem, neque immediatè fuiſſe factum per aliquam rem creatam.* Tantum poteſt maleſanus livor:

Sic parvis componere magna ſolebam. ‡

E 5 Mira-

* *Naudæana, pag.* 32.

† *Pomponat. de Incantat. pag.* 81. *pag.* 94. *& pag.* 315.

‡ *Virgil. Eclog.* 1.

Miracula divina ubivis perlucent, & ſe in ſe ipſa ſatis produnt. *Miracula* CHRISTI *non ratione rei factæ, ſed ratione faciendi ſuæ divinitatis argumentum certiſſimum ſunt*, *Picus* * inquit. Sic quanquam Naturæ interpres rei factæ cauſas indagat, huic ratio faciendi commonſtrat Deum.

Sed ad VANINUM redeamus, ut porro, an nihil ſupra Naturam habuerit videamus. *Deum admiſiſſe*, jam probavimus: ita quoque *Angelos* admiſit, *Exercitatione* XXXIII. *Amphitheatri de Intelligentiis*.

RATIO VIII. Hic dum *inſulsè* atque *ineptè Scholaſticos de Angelis commentos eſſe* dixit, ut eorum lectio aut faſtidium ei, aut certè ſtomachum commoveat, ecce! *Merſennus* bilem ſe commovere affirmat, cùm de iis ex *Cardano* & *Trithemio* refutantis ſpecie referat. In illa illuſtri Angelorum conſideratione, in illis Cabalæ Catholicæque Eccleſiæ dogmatibus explicandis diem conſumerem, ſi quempiam horum vindicare vellem. Hos ſine periculo Atheïſmi congredi patiamur: ſuperſunt enim multa adhuc diſcutienda, & præſertim de Angelis ejus ſententia de Dæmonibus jungenda, juxta Horatianum illud:

RATIO IX.

Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
Nocturnos lemures, portentaque Theſſala ridet. †

Certè

* *Concluſ. Mag.* VIII.
† *Horat. lib. 2. Epiſt. 2.*

Certè frigidus, inquit *Merſennus*, *eſt admodum* VANINUS, *qui nullam rationem naturalem illas pœnas adſtruere, nullam exiſtentiæ Dæmonum, ſicut nec Dæmoniſſarum favere putat: ubi* Cardanum de Subtilit. & Rerum var. circ. fin. citat. *Si ei veritas Catholica cordi fuiſſet, quot etiam Paganorum exempla, quot rationes naturales hiſce veritatibus faventes adſtruere potuiſſet!* Sic *Merſennus* arguit, qui ipſe, ne crimine falſi teneatur, patrono opus habet. Hæc ſunt VANINI verba. *

Craſſima mendacia (Atheorum;) *attamen quia naturali ratione non poſſumus demonſtrare, in altera vita pœnarum locum proprium aſſignari, multò minus verò Dæmones dari, niſi & Dæmoniſſas concedamus, ut ita loquar, quemadmodum ſentit* Cardanus *in fin. libr.* de var. Rer. *& etiam in libr.* de Subtil. *Quapropter aliâ nobis utendum eſt refutatione.*

Hi quòd diſſideant, qui attentè legerit, videbit: cùm VANINUS de loco proprio pœnis aſſignato, alter de ipſis pœnis, quæ longè differunt, loquatur. *An naturali ratione locus pœnarum proprius poſſit aſſignari, quæritur?* Tu, ſi, *Merſenne*, poteris, te præſta virum, ac ſive intra, ſive extra octavam *Sphæram* colloces, indica.

Qui-

* *Vanin. Exerc.* 10. *pag.* 85. *Amphith.*

Quidam, ut ſunt impudentiſſimi, Purgatorio locum proprium dederunt; quidam & inferno. Locum æreum, obſcurum & caliginoſum, abyſſum maris; alii centrum terræ: ſed quâ ratione naturali nitantur, prudens quiſque videbit. Montem *Heclam* aliaque flammivoma barathra, metaphoricè eo nomine inſignita, ſi addere placuerit, quidam hiſtoriolis quibuſdam aderunt. Jam olim *

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu;
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris,
Quam ſuper haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens, ſupera ad convexa ferebat.

Sed ne diutius hæream, quæritur: *ſi pœnas æternas naturali ratione adſtrui poſſe, negavit* VANINUS, *an ſit Atheus?* Quod negandum videtur ob imbecillitatem maximam naturalis rationis. Namque in futuris demonſtrandis, niſi quod ex Sacra Scriptura novimus, levi nitimur conjecturâ.

Verùm in † *S. Scriptura pœnas à Deo impiis inflictas, ipſe ſexcentis locis legit. Sacroſancta reſponſio: at nullo negotio ab* Atheïs *repellitur, qui eam S. Scripturæ præſtant fidem, quam vel ego Æſopicis fabellis aut mu-*

* *Virgil. lib.* 6. *Æneïd.*
† *Vanin. Exerc.* 10. *pag.* 83.

mulierculariun inſomniis, *aut* Alcorani *Turcicis ſuperſtitionibus.* Quibus verbis: *ipſiſſimam eſſe veritatem* fatetur: * ſed rationes naturales defuerunt. Si tibi, *Merſenne*, adſunt, aut adeſſe opus eſt, cedo, & debiles ejus ſuſtine partes. Ratione certandum; in illa quoque doctrina de Dæmonibus te arguentem audivimus. *Quot Paganorum exempla*, *quot rationes naturales hiſce veritatibus faventes adſtruere potuiſſet!*

Verùm *cùm omnis*, *quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio*, *debet à definitione proficiſci*, *ut intelligatur*, *quid ſit id*, *de quo diſputatur?* † prius diſquirendum: *quid ſit Dæmon?* Si Dæmonem *Diabolum* unicè notare dixeris, mirum quantum à vera vocis ſignificatione deërrabis. Quin etiam *Plato* ipſe maximum omnium Dæmona *Deum* appellàvit. Cæterùm *Dæmon* Philoſophis bonus maluſque eſt; *Angelus*, ut nos vocamus, & *Diabolus*.

Et ipſe *Angelus cuſtos*, qui Catholicis perquàm ſacer eſt, ex eorum numero eſt, quem *Genium* appellabat Antiquitas, & *Dæmonem paredrum*. Quid *Socratis* aliorumque *Dæmonio* decantatius? Tu nodum Gordium ferro diſſecando, Diabolos habuiſſe affirmas; Philoſophi non credunt; virorum enim ſanctitati probiſque moribus repugnat,

* *Vanin. Exerc.* 10. *pag.* 84.
† *Cicer. lib.* 1. *de Off.*

gnat, cùm Diabolus per ſe nihil niſi malè agere poſſit.

Porro etiam *Plato* * laudat *Heſiodi* ſententiam, quòd viros bonos ac ſapientes vitâ functos *Dæmones* appellat. Cui conſentanea refert *Maximus Tyrius.* † Atque ipſe *Ariſtoteles* cùm quæ in Natura ſunt, cumulatiſſimè proſecutus eſſet, *Dæmonii* cognomen invenit. ‡ Quin & animus noſter *Dæmonium eſt ingenioſum, prudens, callidum, vafrum, fallax, mendax, artificioſum, doloſum, ſagax, divinum, itaque, ſi ita libet, mobile in omnes partes, ſe huc illuc jactat, omnia verſat, præterita, præſentia, ea confert, alia ex aliis infert vigilans, dormiens, irrequietum ſemper, unde fit ut nonnulla divinet, hoc eſt, attingat cum ratione, alia ſine ratione, alias etiam cum ratione deliret, alias ſine illa*, inquit *Sanchez.* ⊥ Certè VANINUS animum nos habere admiſit, cùm ratio demonſtret & Angelos & Deum, ut diximus. Ergo non omnes negavit Dæmones (ſanctum nomen!)

Dæmon denique *ſapientem* notat, *peritos* & *rerum ſcios.* Ϛ Jam dum quod neſcit vulgus, Dæmoni *tribuit*; *tribuat* Sapientibus. γ Sic verbo Græcè Latinèque pro-

* *Plato in Cratylo.*

† *Max. Tyr. Diſſertat.* XXVII. *pag.* 278.

‡ *Calcagnin. in Encom. Art. liber. p. m.* 555.

⊥ *Sanchez ad Ariſtot. de Somn. pag.* 207.

Ϛ *Lactant. lib.* 1. *c.* 15.

γ *Vanin. Dialog.* 60. *pag.* 486.

prolato, multæ lites ſolvuntur. Illud enim de Dæmonibus ut diſſererent, permovit multos, quòd *vana plebecula admiranda opera* Dæmoni, *perpuſilla* Naturæ *adſcribat.* * Quare, inquit VANINUS, *ſuperſtitioſorum hominum opinioni*, *qui ad* Dæmones (*plurima*) *referunt*, *non ſubſcribam*, *donec adeſſe* Dæmones naturali ratione *mihi probaverit.* †

Naturali jam ratione de Dæmonibus diſſerendum erit. Ubi ſe offert diſcrimen inter τὸ *eſſe* & *adeſſe*. Quidam enim, in quibus forſan VANINUS, non ignari CHRISTUM ſuo adventu ſalvifico abſtuliſſe poteſtatem Orci, & ligaſſe Diabolum catenis tenebrarum, Spiritûs maleficos non *eſſe*, ſed nobis *adeſſe* præſentes, corporeos, viſibiles, negant.

Nec diffitendum Patres pleroſque Eccleſiæ, *Platoni* de Dæmonibus diſſerenti, favere. Illis autem myriadibus Dæmonum, quos ipſe produxit Philoſophus, infinitos *Deunculos* Græcæ fidei Symbolo addidit. Primi Poëtæ laſcivientis eloquentiæ gloriam, impietatem vindicarunt, & magnâ poſteritatis fiduciâ, ſui majore, quaſi ſoli ſaperent, aniles de Diis Dæmonibuſque fabulas commenti ſunt. Familiæ Princeps *Homerus*, quæ in cœlo viderat, ſibi

* *Dialog.* 23. *pag.* 137.
† *Dialog.* 58. *pag.* 453.

ſibi retinere non potuit. Ille cœlos hominibus prodidit, tandemque hoc aſſecutus eſt ſolus, quod tam eleganter impiè dixit, ut fidem meruerit. Nihil actum diu noctuque Deos inter ſuo tempore, quod non ſciverit: ita ſæpius in cœlo quàm in lecto ſomniabat. Excepit ſacram divini Senis inſaniam *Heſiodus*, & ut magis inſaniret, diſtribuit illis ſedes ſuas, ac eo locorum ὀστρακισθέντας ſeneſcere voluit: adeò facilius ille Dæmonem ubique, quàm malvam & aſphodelum in horto reperiebat. Secuti ſunt Poëtas Philoſophi, qui hoc tantum curaſſe videntur, ut jam obſcura veritas denſioribus tenebris involveretur. Hinc *Lemurum*, *Spectrorum*, *Lariumque caterva*, *Sylvanûm*, *Satyrûmque Chori*, *incubi*, *ſuccubique Dæmones*, *Centauri*, *Onocentauri & Hippocentauri*, *Syrenes*, *Tritones*, *Fauni*, *Nereadumque genus*; *Manes*, *Nymphæ*, *Dryades*, *Hamadryades*, *Oreades*,

Multaque prætereà variarum monſtra ferarum,
Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, & Bellua Lernæ
Horrendum ſtridens, flammiſque armata Chimæra;
Gorgones, Harpyæque, & formâ tricorporis umbræ. *

Quibus

* *Virgil. lib. 6.*

Quibus ſi ea, quæ *Jamblichus*, *Plotinus*, *Porphyrius*, *Pſellus* de Dæmonibus narrant, addidero, naturalique ea probaveris ratione,

Et eris mihi magnus Apollo.

Si ſomnia *Paracelſi*, aliorumque, de Spiritibus Olympicis, ſi *Comitis de Gabalis*, ſive *Abbatis à Villars*, *Borri* Chymici, & *Autoris* Hiſtoriæ Meluſinæ, *ſubſtantias intermedias* afferrem, fabuloſum hoc genus ſcio eſſe dixeris; neque ego pernego: attamen & hæ plurimis Dæmonum ſunt numero. *Ita verò comparatum eſt, ut qui hujuſmodi figmentorum portentis aures præbent, & ipſi mox aliquid affingant, quo fit ut mendaciorum quaſi colluvie veritas vitiata ſuam prorſus autoritatem perdat.* *

Quòd ſi igitur VANINUS naturali ratione probari poſſe negavit, quæ de Dæmonibus feruntur, quale crimen in te commiſit, qui omnes narrationes nec ipſe admittes? Non VANINI, ſed Philoſophorum cauſa agitur. Unica tibi via reſtat, quâ te expedias. Philoſophos, qui de tot generibus Dæmonum diſſerunt, Magiæ inſimulans, qui naturalem rationem à te poſcunt, *Atheos* vocas.

Ergo tuæ ſententiæ ſubſcribere, aut te judice rogum aſcendere oportet. Neque

* *Pauſan. in Arcad. pag.* 419.

tamen unquam tu quicquam præſtare tibi ſimilius potuiſti. Nam nova diſplicent; nova inſequeris, antiquitatis credulus venator, cui improvido argumento tuo, morem geris.

Hæc fermè (ut apud *Apulejum* eſt *) *communi quodam errore imperitorum Philoſophis objectantur, ut partim eorum, qui corporum cauſas meras & ſimplices rimantur, irreligioſos putent, eoſque aiant Deos abnuere: ut* Anaxagoram, & Leucippum, & Democritum, & Epicurum, *cæteroſque rerum naturæ patronos: partim autem qui providentiam mundi curioſius inveſtigant & impenſius Deos celebrant, eos verò vulgò Magos nominent: quaſi facere etiam ſciant, quæ ſciant fieri: ut olim fuere* Epimenides, & Orpheus, & Pythagoras, & Oſtanes. Gratulor igitur VANINO, quem tantis viris annumeraſti.

Adhuc tamen, docte *Merſenne*:

Parvâ libellum ſuſtine patientiâ,
Severitatem frontis dum placo tuæ. †

Et ne te Dæmones obſideant curâ, quòd & amorem & odium pro magnis habeant *Platonici* Dæmoniis. Ex his enim fontibus tuam & tuorum orationem manare negare vix poteris. Sic Anonymus non ſolùm

* *Apulej. in Apolog.*
† *Phædr. lib.* III. *Fab.* 20.

ſolùm illum multis convitiis proſcidit, ſed de ſpiritibus intermediis, *pag.* 4. & 143. *Amphitheatri* egiſſe aſſeruit. At Autor ille, quem ſæpius allegavi, in locis citandis adeò diſcrepat, ut aliâ editione eum uſum fuiſſe credam meâ. Legerat forſan *pag.* 179. de *Cardano* VANINUM illud retuliſſe, ergo omnia, quæ in illo libro extant, ſive rejecerit, ſive admiſerit, tribuit ei non ſolùm incautum vulgus, ſed viri etiam doctrinâ præcellentes. At,

Hæc, Vanine, *feres? qui jam majora tuliſti;*
Jam tibi ſentiri ſarcina nulla poteſt.

Vide-ſis *Merſennum*, qui maximi criminis inſtar urget, ad imaginationem retuliſſe ſpectra, dum tamen hoc interdum tam verum, quàm quod veriſſimum ſit. Librum implerem de hac re ſatis operoſum, ſi prolixiore uterer oratione; ipſe experiaris licet, quot ſpectacula ſpectraque imaginatione crudâ oculis poſſis objicere. Addo *humorem melancholicum*, *debilitatem oculorum*, *crebram phantaſiam*, *ventriſque obſtructionem*, quâ afficiuntur mulierculæ. Cuivis Mathematum gnaro ex Optices doctrina patet, quid viſui, ſenſuum acutiſſimo, imponatur. *Pauſanias* in *Atticis* * hac de re exemplum tradidit: *Ego ipſe* Niobem

* *Pauſan. in Attic. pag.* 35.

ut viderem, in Sipylum montem aſcendi. Silex & prærupta crepido imminet, quæ propè aſſiſtenti, neque mulieris, neque lugentis formam oſtentat: qui verò procul aſpexerit, mulierem lacrymantem & mœrentem videre ſibi videatur.

Eodem modo, quidam *Alexandro Macedoni* in funere *Hephæſtionis* obtulit, ſe facturum, ut mons *Athos Hephæſtionis* redderet effigiem, alterâque manu urbem, alterâ fluvium exhiberet. Hiſce inſultatur oculis, aliis autem naturæ operibus auribus, ut quemadmodum illis perſuadent, ſe nunquam viſa videre, ita his imponunt, ut nunquam audita audiant. Dicunt enim ii qui conſcripſerunt Hiſtorias, in Britannia Inſula eſſe quandam ſpeluncam monti ſubjectam, in faſtigio autem hiatum: cùm autem ventus in ſpeluncam incidit, & in foſſæ ſinu alliditur, audiri ſonum cymbalorum, quæ numeroſè pulſantur. Sæpè autem cum ſilvis quoque moventur folia per repentinum & denſum ſpiritûs impetum; editur ſonus avium cantui ſimilis. Cæterùm ii, quæ in Magorum regione ſunt eminentiora, referunt, tres montes in longiſſimo campo ordine ſitos: eos autem, qui locum tranſmittunt, cùm ad primum quidem montem pervenerint, confuſam audire vocem, non ſecus, quàm ſi millia hominum aliquot clamorem ederent

rent in acie: ad medium autem ubi eſt perventum, majorem ſimul & evidentiorem ſtrepitum percipere: tandem autem audire in fine canentes *Pæana*, perinde ac ſi viciſſent. Cujusvis autem ſoni cauſa eſt, ut exiſtimo, & locorum levitas & concavitas. *Rejectus itaque qui ingreſſus eſt ſpiritus, in eundem locum procedens, ſonat vehementius.* * Ex his ſimilibuſque ſpectra fingunt improvidi, quibus tamen vera ſpectrorum exiſtentia non tollitur. Poſito uno, non tollitur alterum. Sunt ſpectra, ſed non talia qualia vulgò fingunt. Qui ſpectra impugnant, hac utuntur ratione, nemini unquam cordato imaginem genii alicujus aut ſpectrum offerri; pueros, mulierculas & ob invaletudinem mente parum valentes homines, animi quoque & corporis intemperie affectos inania ſibi & horribilia imaginari, inque iis genium eſſe ſuperſtitiosè credere. Quo fit, ut *Brutus* & *Dio* Philoſophi, animique magno robore præditi, neque ad ullam animi perturbationem proclives, ita ſint ſpectris commoti, ut etiam aliis exponerent. † Verùm his in rebus nimiam credulitatem & incredulitatem periculoſam efficit humana imbecillitas, cùm ea non intra certos terminos ſe continet, ſed effertur vel ad ſu-

F 3 per-

* *Clem. Strom. lib.* VI. *pag.* 632.

† *Plutarch. in Dion. Conf. Gaſſend. libr.* III. *Ethic. pag.* 856. *tom.* 2. *oper.*

perſtitionem inflatius de iis ſentiendo, vel ad contemptum religionis, optimum eſt cautionem adhibere, ac *ne quid nimis.* *

Ratio X. Jam ut ulterius pergat oratio, *Merſennus* iterùm, qui ſtrenuè hîc partes ſuas agit, frivolè *de Animæ Immortalitate* ſenſiſſe *&* *naturali ratione*, demonſtrari non poſſe arguit: ſe autem multorum virorum autoritate rationibuſque hoc præſtitiſſe videtur. *Sed eo tradente omnia majora ſunt vero.* † Neque *ibi allegavit Scripturam*, urget alter. ‡ *Sacro-Sancta ſanè reſponſio; at nullo negotio ab* Atheïs *repellitur, qui eam* Sacræ Scripturæ *præſtant fidem, quam vel ego Æſopicis fabellis aut muliercularum inſomniis.* ⊥ Hos autem convincere, rabiem infringere, vires contundere, latebras diruere naturali voluit ratione.

Sunt quædam loca in ejus ſcriptis *de Animæ Immortalitate*; ſed neque probant *Merſenni* aſſertum, neque *Mercurii Gallici*, qui planè negaſſe ait, neque VANINUM faciunt *Atheum.* Primus ſit, ubi negat ſe de ea re ſcripturum. *Alexander* Collocutor inquit: *Quæſo, mi* Juli, *tuam mihi, quæſo, de Animæ Immortalitate ſententiam explices.* JUL. CÆS. *Excuſatum me habeas rogo.* ALEX. *Cur ita?* JUL. CÆS. *Vovi Deo meo*

* *Plutarch. in Camillo.*

† *Curt. lib.* 9. *cap.* 2. §. 14.

‡ *Unſchuldige Nachrichten.*

⊥ *Vanin. Exercit.* 10. *pag.* 83.

*meo quæſtionem hanc non pertractaturum, antequam ſenex, dives & Germanus evaſero.** An ſilentium crimen ſugillas? Vulgatum eſt: *Loquere ut te videam.* Lubricus proponendi modus eſt; ſed alia ejuſmodi incogitanter VANINO exciderunt, quæ maturiore judicio ſcriptis ipſi furto ſurreptis eliminare non potuit. Mutaſſet fortaſſe multa, niſi opuſcula eo inſcio Typographi aviditate prælo fuiſſent ſubjecta. Quam excuſationem, niſi admittis, ſurripiam: opto tibi in charta conjectæ fortuitæ cogitationes, ut videamus, an VANINI, (niſi ſtupidus es) an tuæ pluribus ſcateant mendis. Non ad verbum quælibet interpretanda ſunt: voluit *de Immortalitate Animæ* ſcribere, quod ſuperius negare videbatur. *De animæ ſede*, inquit, *in libris ſequentibus*, *ubi* de Animæ Immortalitate *diſputabitur*, *exactiſſimè adverſus* Cardanum & Galenum *agemus*, *ex ſententia divi Senis* Hippocratis, *quem*, *quòd* Galenus *non intellexerit*, *patefaciam.* † Proponas quinque rationes, quas ipſe pro *Animæ Immortalitate* attulit, quæ ſatis ſubtiles viſæ ſunt *Morhoſio*: quomodo illis negaſſe dices, quæ acriter defendit.

Sed adjecit verba quæ frivolum indicant, *Ingenuè* (inquit) *fateor*, Animæ Immortalita-

* *Vanin. Dial.* 50. *de Arcan.*

† *Vanin. Exerc.* 23. *pag.* 231. *Amphith.*

litatem *ex phyſicis principiis demonſtrari non poſſe, cùm ſit articulus fidei. Carnis enim credimus reſurrectionem; non autem reſurget corpus ſine anima; quove modo anima erit, ſi non erit?*

Ego Chriſtianus *nomine*, *cognomine* Catholicus, *niſi ab Eccleſia, quæ veritatis eſt certiſſima & infallibilis Magiſtra, edoctus eſſem, animam noſtram immortalem eſſe, vix crediderim; quod dicere non erubeſco. Sed glorior: nam adimpleo* Paulinum *præceptum, captivans intellectum in obſequium fidei.* *

Quòd ſi *captivare intellectum ſub obſequium fidei*, frivolè dictum eſt, *Paulus* frivolè dixit, & multi pii Chriſtiani frivolè in multis myſteriis loquuntur.

Et ſanè difficillima perplexitatis plena animæ ejus facultatum actionumque conſideratio eſt, ſi quæ alia. Imperfectus & miſer homunculus quomodo cognoſcet alia, qui ſe ipſum non novit, qui in ſe eſt & ſecum, quomodo abſtruſiſſima naturæ, inter quæ ſpiritualia ſunt & inter hæc anima noſtra, qui clariſſima apertiſſima quæ comedit, quæ bibit, quæ tangit, quæ videt, quæ audit, non intelligit. †

Nihil ergo hactenus in VANINO actum eſt; innocentia ejus triumphat, nec à moderato Judice, cujus ſententiam exſpectat, rogo, ſpero, imponetur. Vindicavimus enim in articulo *de Deo*, *de Chriſto Salvatore*,

* *Vanin. pag.* 164. *Amphith.*

† *Santhez*, nihil ſcitur, *pag.* 103.

re, *de Virgine Deipara*, *de Spiritibus bonis maliſque*, *de Anima*, ab Atheïſmo.

Quod ſupereſt, *ſermone rotundo* torquet *Enthymema* novus accuſator. *Fuit Aſtrologus*; *ergò fuit Atheus.* Lepidè: inſulſum hoc in ſe corruet argumentum: ſed inſpiciamus propius. Non unus hic accuſator ſurgit; primas autem teneat *Hadrianus Beverlandus*, mellitum os, quem Aphrodiſæum & *Veneris* pupulam dixeris. Is ſi tam verè quàm eleganter ſcripſiſſet, unus loco omnium foret: ſed jam, ut liberet fidem ſponſore opus eſt. Liceat mihi VANINO *Horatianum* illud tribuere adverſus *Beverlandum*. RATIO XI.

Tu, cùm ſis quod ego, & fortaſſe nequior, ultrò
Inſectere, velut melior, verbiſque decoris
Obvolvas vitium? quid ſi me ſtultior ipſe. *

Hic autem ait: † Ariſtoteles *&* Plinius *mundum pro Numine habuerunt. Diabolica idearum ſacramenta inter Chreſtianos potius quàm Chriſtianos* Julius Cæſar VANINUS, *qui cum* Marone *&* Cardano *titania aſtra hanc molem agitare hariolatur. Solem cœlorum Deam & Deum prædicat, eique gratias agit pro ingenti illa doctrinæ mole. Deitate illâ acceptâ, omnia iſtius Dei digito, quem*

* *Horat. lib. 2. Sat. 7.*
† *Beverland. de Peccat. origin. pag. m. 3.*

Sphæræ octavæ cancellis incarcerat, per influentiam cœleſtium corporum perfici docet: adeòque MOSEM, CHRISTUM *&* Mahometem *fuiſſe ſidereos Legiſlatores: Stellarum Fato Judaïſmum Chriſtianitati, & Mahumetiſmo Chriſtianiſmum locum ceſſiſſe, ut* Ninus *per* Zoroaſtrem *Magum, &* Apollonius *per Aſtrologiam, ita & eâdem vafritie cæteros Legiſlatores decepiſſe orbem, impius profanè bacchatur.*

Nil mortalibus arduum eſt.
Cœlum ipſum petitur ſtultitiâ.

Aſcletarionis *obiit fatum, cùm mundi conflagrationem cum* Cæcilio *improbaſſet, ſemet vivum Vulcano mancipari ſivit.* Eia! quàm doctè delicatulus *Cypriæ* paſſerculus garrit, bonæ Deæ Protomyſtes, *Priapi* non inſulſa progenies. Sed detracto fuco & cincinnatis dicendi formulis, quod meretricum eſt, exſangue ſupererit ſceleton.

Perſonam tragicam fortè vulpes viderat;
O quanta ſpecies! inquit, *cerebrum non habet.* *

Si rectè percipio, accuſationis hujus capita hæc ſunt:

I. Cum *Ariſtotele* & *Plinio* mundum pro Numine habuiſſe & dixiſſe.

II.

* *Phædrus lib. 1. fab. 7.*

II. Aſtra agitare mundum.

III. Solem Deum Deamque, cui omnia ſuamque doctrinam referat.

IV. Stellarum fato ſubjici religiones.

V. Legiſlatores decepiſſe orbem.

VI. Mundi conflagrationem negaſſe.

Sed omnibus illis non *Beverlando* pro inſtructæ ſcenæ pompa patebit exitus.

Suprà probavimus pluribus, neque Naturam ipſam, ſive Mundum habere Deum, Deamque, multò minus partem aliquam ejus, Solem, Aſtrave. RATIO I. BEVERLANDI CONFUTATA.

Per Solem, Titaniaque, ut vocat, Aſtra, Deum multa in his inferioribus operari contendit, cum viris doctiſſimis, quos nec in ſomno quiſquam habebit Atheos, niſi ſtolidus. RATIO II.

Habet ita bonorum exemplum, quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat. *

Neſcio quo genio quidam impulſi Deum nolunt Naturâ tanquam inſtrumento ad inferiora uti, cùm ipſius mundi compages, mare, terraque quotidie hæc demonſtrent. Quis neget adventu Solis campos lætari, arbores adſciſcere comas, prodire flores, creſcere RATIO III.

* *Terent. Prolog. Heautont.*

creſcere plantas, jactumque in terra ſemen virere & matureſcere? At nec impudentiſſimus Solem creare hæc omnia dixerit, cùm *creare* ſit *ex nihilo producere*, ſed per Solem omnia ſupremum quod veneramur Numen fovet, alit, ſuſtentat. Quamobrem niſi vires naturæ agnoſcere, novoſque Deos fingere æquipolleat, quod abſonum, VANINUS, quantum ipſe memini, ab Atheïſmo & idololatria abſolvendus eſt. Ipſe vellem reſponderet VANINUS, *Senecæ* forſan verbis uſurus: *Malè de me loquuntur: faciunt non quod mereor, ſed quod ſolent, malè loquuntur: benè neſciunt loqui; non judicio faciunt, verùm morbo, non de me loquuntur, ſed de ſe. Moverer, ſi de me* M. Cato, *ſi* Lælius, *ſi duo* Scipiones *loquerentur; nunc malis diſplicere laudari eſt. Non poteſt ullam autoritatem habere ſententia, ubi qui damnandus eſt, ipſe damnat. Quibuſdam canibus ſic innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent.*

RATIO IV. Quorſum quartum accuſationis hujus refero articulum. Legerat forſan *Beverlandus* in *Amphitheatro*, illum ſententiam quorundam, quòd Religio Fato ſiderali ſubjiciatur, ex *Cardano* retuliſſe. Litem VANINI facere tentat, quam ipſe non fecerat ſuam, & malâ fide, quæ alterius ſunt, ei tribuit. Ne imitemur hominem; bonâ nos fide agamus, & quod juris naturæ

turæ eſt, ſuum cuique tribuamus. Negando igitur hanc ejus fuiſſe ſententiam, donec contrarium probetur, ei ſatisfactum putemus; præſertim cùm illa accuſatio magis ex odio Aſtrologiæ, cui illud dogma affingunt, quàm rei veritate prolata videatur.

Eſt genus enim hominum, qui nomen illud tanto odio proſequuntur, ut Aſtrologum, ſive veridicum, ſive falſum, atro ſubinde notent lapillo. Ambobus itur in eam ſententiam pedibus. Nec me fugit, viros in Republica literaria principes Aſtrologiæ accuſatores extitiſſe. *Theodoſius* olim Philoſophus, *Soſigenes*, *Diodorus*, Tarſi Epiſcopus, *Plotinus* hac in parte ſcriptis ſunt celebres. His doctiſſima Opera accedunt, quæ *Nicolaus Oreſmius*, uterque *Picus*, Mirandulæ Princeps, *Hieronymus Savonarola*, *de Angelis*, *Hemminga*, *Pererius*, *Petrus de Azevedo*, *Thomas Eraſtus*, *Calvinus*, *Didacus Perez de Meza*, *Nicolaus Cauſinus*, *Porta*, *Helvicus*, *Franciſcus Cigalinus*, *Albertus Leontinus*, *Petrus Gaſſendus*, *Auguſtus Buchnerus*, aliique plures reliquerunt. Legimus ea, & admiramur quantis illi operibus, quanto ſtudio impugnarint errores Aſtrologorum & ſomnia; innocentem artem impugnare non poterant. Illis à *Luciano*, *Lucio Bellantio*, *Petro de Alliaco*, *Bartholomæo Veſputio*, *Fran-*

Franciſco Junctino, *Alberto Pighio*, *Emanuele de Ledesma*, *Simone Partlicio*, *Joanne Abioſo*, *Benedicto Tyr*, *Gondiſalvo de Toledo*, *Philippo de Soldavilla*, *Gabriele Pirovano*, *Alvarez Gutierez de Torres*, *Dominico Scevolini*, *Joanne Taiſnerio*, *Carolo à Condren*, *Joanne Baptiſta Morino* telum oppoſitum eſt.

Neque noxam inde quòd retulerit, contrahere poteſt, aut, ſi profanum ad refutandum propoſuit, profanus eſt. Ipſe pro ſe verba faciet: * *Valeant, abeantque Aſtronomorum fabulæ & deliria, quæ deteſtari à me prorſus execrarique profiteor; in medium tamen adduxi, ut inertia Præceptorum, ineptiaque pateſieret. Nec illa mihi diſceptatio vitio facilè vertetur, quando & S. Patres Arrianorum blaſphemias in Dei Filium recitant paſſim & retundunt, & illuſtriſſimus* Bellarminus *in ſuis Operibus refert bachantium Hæreticorum furores in* CHRISTI *ſacramenta, ejuſque Vicarium Romanum Pontificem. Hæreticorum autem blaſphemiæ, quæ ab ipſo adducuntur, & refelluntur, minorem in ſe haud continent impietatem, quàm ea quæ nos ex Aſtrologis in medium produximus, & rejecimus.*

Ex eo patet quàm iniquè *Beverlandus* cum eo egerit, qui aliena ei malâ fide tribuerit. Veluti etiam *Athei* ſermonem, quem

* *Vanin. Exercit.* 8. *in fin.*

quem VANINUS rationibus convicerat, illi adſcribere non dubitat, * VANINUM *dixiſſe*, inquiens, *Salomonis Proverbia eſſe populares & cupidineos verſiculos, omni lepore deſtitutos:*

Parcius iſta viris tamen objicienda memento,
Novimus & qui te. †

Beverlandus vulgatum illud in animo habuiſſe videtur: *Calumniare audacter ſemper aliquid hæret.*

Noli igitur mirari quòd quinto loco Legiſlatores arguat *deceptores* vocaſſe, *Roſſetti* ſomnium *de Tribus Impoſtoribus* novis in ſcenam ducit cothurnis. Sed exploſo eo nihil ei reſtat, quàm ut ejuſdem fronti, impudentiæ itidem imponatur nota. RATIO V.

Denique *negavit mundi conflagrationem.* Sed non generatim, quòd ignis non contrarietur cœlo, negavit. *Alexander* quærit apud eum, ‡ *An ſolâ religione perſuadeatur, cœlum aliquando finem habiturum, quia corruptio fit à contrario: atqui cœlo nihil contrariari neque ignis.* Mox addit: *Cœlum finitum magnitudine & poteſtate dicendum eſt duratione infinitum, propter quod Deum Deus facere nequivit; feciſſet autem, ſi* RATIO VI. BEVERLANDI ET RATIO XII.

* *Beverland. loc. cit. pag.* 4.
† *Virgil. Eclog.* III.
‡ *Vanin. de Arcan. Nat. Dialog.* 6.

ſi feciſſet infinitum poteſtate, idcircò infinitum ævo fecit, quia ſola hæc creatæ rei perfectio evenire poterat. Sed ſubtilius rem expendam; primum principium non potuit quicquam efficere quod ſui eſſet, aut ſimile penitus aut diſſimile. Non ſimile, quia quod fit patitur. Diſſimile non potuit, quia actio & agens in ipſo non differunt. Quamobrem cùm Deus ſit unus, mundus fuit unus & non unus, cùm ſit omnia, fuit omnia & non omnia, cùm ſit æternus, mundus fuit æternus & non æternus. Quia unus eſt æternus, non enim habet comparem aut contrarium; quia non unus, non æternus: ex contrariis enim ac mutua corruptione graſſantibus partibus conſtitutus; ejus igitur æternitas in ſucceſſione, unitas in continuatione.

Nihil hîc VANINUS, ſi rectè interpretaris, novi fingit: plurimi Philoſophorum non omnia interitura die noviſſimo, ſed reſtituenda arbitrantur, ut *Philo* cenſuit; & *Franciſcus Sanchez*, * [ne plures compellem] & Cl. *Burnettus* propugnarunt. Non hîc VANINI, ſed communis Philoſophorum cauſa agitur, qui Atheïſmi nullo jure poſtulari poterunt, ſi in his & ſimilibus indulgent ſibi.

Neque igitur te multùm profeciſſe tuâ accuſatione, *delicate Beverlande*, autumo, qui projicis ampullas & ſeſquipedalia verba.

* *Sanchez*, nihil ſcitur, *pag.* 83.

ba. Utinam *Notas* tuas in VANINUM, furto tibi * ablatas, tuamque haberemus in iis ſententiam, tum ulteriùs tecum agendum eſſet: qui illis tuum jam concedes locum, qui plures in impugnando VANINO attulere rationes.

De Aſtrologia monui ſuprà: inter dogmata verò, quibus exoſam eandem reddere capiunt, non infima eſt, quòd fatalem neceſſitatem inducat. Hac itaque in parte & adoriri VANINUM viſum eſt *Gramondo*. † Hinc inquit: *Sorte fieri omnia exiſtimabat.* RATIO XIII.

Ad hæc ut reſpondeamus, ſat erit, de VANINO conſtare, *Sortem*, cui omnia tribuerit, eſſe *Providentiam divinam*, *cui ſe ſuaque omnia ſubjecit:* ‡ qui Providentiæ divinæ, ergo *Democriti* & *Epicuri* atomos in caſum omnia referentes, rejecit, ob ordinem, qui in omnibus ſit, quo Aſtronomi nôrint longè anteà ecclipſes. ⊥ Et ut de mente ejus pleniùs conſtet, concludit, β *omnia pendere de ſola Providentia Dei; ab ea cauſas ſecundas conſtitutas in natura neceſſarias in voluntate inclinantes, non cogentes, in eventibus rerum immutabiles &*

G Fatum

* *Ex relatu Hoſpitis ejus Lugdunenſis.*
† *Gramond. in Hiſtor. loco citato.*
‡ *Vanin. in Præfat. Amphitheatr.*
⊥ *Vanin. Exercit. 4. Amphitheatr.*
β *Vanin. Exercit. 42. pag. 287. Amphith.*

Fatum *dicitur*. Hinc inquit cum *Lucano*. *

Quò me Fata *vocant, virtus ſecura ſequatur.*

Sed novus ſurgit accuſator *Salomon van Til*, † Batavus, cujus verba Latinitate donata memorantur.

RATIO XIV. *Confingit* nobis neſcio quid *Fatum* VANINUS, *cujus decreta, aureis ſtellarum literis quaſi deſcripta, legi ab hominibus rerum iſtarum ſagacibus queant.* Hujus quidem ſententiæ propagatores fuiſſe *Joachidem*, quam in *Zohar* exponit *Akibam*, Autorem libri *Jetziræ*, *Ramban*, *Abrahamum Dior*, *Aben-Eſra*, *Zadack*, *Jomtoff*, *Ralbag*, *Abarbanel*, ex *Gaffarello* ‡ diſcimus. Niſi callidè illud aſſeruit, cùm inter omnes Hebræos *Aben-Eſra* proximè ad *Gaffarelli* mentem, notante *Bangio*, ⊥ accedat. *Reuchlinum* ϵ, *Picum* γ Mirandulanum, *Henricum Cornelium Agrippam* δ, *Guilielmum Poſtellum* ζ, *Blaſium Vignerium* ϑ, *Lucium*

* *Vanin. Dial.* 49. *pag.* 351. *de Arc. Nat.*

† *Salomon van Til in zyn* Voorhof der Heidenen, *pag.* 248. *Act. Lipſ. anno* 1695. *pag.* 400.

‡ *Gaffarellus in* Curioſitatibus inauditis.

⊥ *Bang. in Cat. Orient. Exerc.* 11. *pag.* 172.

ϵ *Reuchlin. de Art. Cabaliſt. lib.* 3. *pag.* 724. *in fin.*

γ *Picus in Quæſt. & lib.* 8. *cap.* 5. *cóntra Aſtrolog.*

δ *Agrippa de Occult. Philoſoph. lib.* 2. *cap.* 51. *& lib.* 3. *cap.* 30.

ζ *Poſtellus ad librum* Jetziræ.

ϑ *Vignerius de Cifris*, *pag.* 162. *&* 256.

Lucium * *Bellantium*, *Lazarum* † *Banellum*, *Robertum* ‡ *Fluddium*, *Jacobum* ⊥ *Gaſſarellum*, *Athanaſium* ϵ *Kircherum*, hujus *lecturæ cœli* meminiſſe conſtat. Legenti autem, relegentique VANINUM, ne ſuſpicionem ſuboriri credo, niſi forſan *Libros Aſtronomicos*, Argentorati excuſos, Vir præclarus ante oculos habuit. Quorum ſi daretur copia, nec, ſpero, difficilis foret explicatio.

Ac certè, ſi de *aureis cœli literis* ex propria dixit ſententia, ſuperſtitione potiùs quàm Atheïſmo, qui ſibi contrariantur, laborat. *Fuit error aliquorum Aſtrologorum* [inquit γ Origenes] *cœlum eſſe librum*, *cujus literæ & characteres eſſent ſtellæ*, *in quo ventura eſſe ſcripta*, *& peritum quemque futura poſſe prædicere*. VANINUM Aſtrologum fuiſſe conſtat; ergo quodcunque ſcientiæ adverſatur, tribuunt ipſi.

Quare *Merſennus*, δ cùm nihil inveniſſet, quo probaret Atheum, denique arguit,

Quòd Cardanum, *ex aſtris carceres*, *mortem*, *prædicentem*, *non reprehenderit*. *Quòd* Haly, *ex aſtro* Veneris *rectè diſpoſito*, *puerum divi*- RATIO XV.

 nare

* *Bellantius adverſ. Pic. quæſt.* 14. *art.* 6.

† *Banell. ad Luc. cap.* 15. *v.* 20.

‡ *Fludd. pro Fratrib. Roſeæ-Crucis*, *c.* 5. *p.* 55. & 56.

⊥ *Gaſſarellus ſcripto ſingulari in* Curioſit. inauditis.

ϵ *Kircherus tomo* II. *Oedipi Ægyptiaci cum aliis*, *qui adverſus Gaſſarell. ſcripſerunt.*

γ *Origen. Philocal. cap.* 23. §. 2.

δ *Merſenn. in Geneſin*, *loco citato.*

nare prædicentem, *crediderit*. Scitè *Symmachus*: * *Natura rerum eſt*, *ut qui balbutiunt*, *plus loquantur*, *pudore defectûs*. *Cardanum* toties & tam ſollicitè reprehenderat & reprehendit, ut facilè condonari poſſit, non totum in eo eſſe. Si ſemper dicta, quibus adverſarium caſtigat, forent repetenda, Crambe eſſet bis cocta,

Nec foret in toto corpore mica ſalis.

Haly, quòd crediderit *Dialogo* 53. *p*. 393. de *Arcan. Nat.* & *Exerc.* 6. *p*. 4. *Amphith.* permotus ſpondet *Merſennus*, ubi naturales rationes propoſuit, an puer recèns natus poſſit loqui, ut fecerat anteà *Cardanus*. Sed contrarium *Dialogo* LVI. *de Auguriis*, libro IV. *de Arcanis Naturæ*, *pag*. 428. lege, ubi inquit: *Ego exiſtimo fabuloſum eſſe pueruli vaticinium*, *quod* Haly Haben Zagel *pro vero jactitat*, *quoties in eodem ſigno iidem Planetæ conjuncti fuerunt*, *nec pueris loquelam*, *&* *prophetiam contulerunt*. Contraria dices, & VANINUM vaniloquum.

Quid inde fit? Audiamus ipſum: † *Neque in hac humana caligine perfectam rerum cognitionem aſſequi poſſumus*, *cùm ipſummet* Ariſtotelem, *Philoſophorum Deum*, *infinitis propemodum in locis hallucinatum fuiſſe animadverto*. *Cùmque medicam facultatem*, *præ*

* *Symmach. lib.* 1. *Epiſt.* 76.
† *Vanin. Dial.* 6. *pag.* 494.

præ reliquis certiſſimam, adhuc incertam & fallacem experior, ſubſcribere cuperem Agrippæ *libello, quem* de Scientiarum Vanitate *conſcripſit.*

Quædam adhuc ſuperſunt, ſed minoris momenti, & quæ VANINUM Atheum non efficient. Quale illud *Gramondi* argumentum: * *Illi in irriſum ſacra.* Exempla occurrunt: dabo, ut quilibet, quo loco habenda ſint, judicet. In *Dialogis* † *Alexander* inquit: *Quî fit ut in* Apulia, *ubi quis à Cane obmordeatur, ſtatim poſtquam* Divi Viti *Templum, non longè diſtans à celeberrima urbe Bario, adivit, convaleſceret?* Julius Cæſar *reſpondet:* Non inficior, *hæc, & majora, à Deo beneficia, Sanctum illum obtinere poſſe: mirabilis enim Deus dicitur in Sanctis ſuis. Cùm tamen Romana Eccleſia nihil ſuper hoc definierit, vereor ne conficta fabella.* Modeſtiam potiùs laudare in his, quàm accuſare oportet, dum tam anxiè dogmata Eccleſiæ decretis ſubjicit. RATIO XVI.

Qui omnibus ſine delectu miraculis, vel dolo fictis, vel caſu factis, & malâ fide vulgatis, fidem adhibet, ſuperſtitioſus eſt, ne fatuum dicam.

* *Gramond. in Hiſt. loc cit.*
† *Vanin. Dialog.* 57. *pag.* 450. *de Arcan. Nat.*

Multi de genere hoc monſtra & portenta loquuntur,
Ne loca deſerta à Divis quoque fortè putentur
Sola tenere: ideò jactant miracula dictis,
Aut aliquâ ratione alia ducuntur; ut omne
Humanum genus eſt avidum nimis auricularum.

Exemplum alterum * accipe. Cùm ex *Cardano* quædam legere juſſiſſet, puer reſpondet: *Excuſatum me habeas, Domine: nam hujus libri lectio Apoſtolico Decreto mihi interdicitur. Tum ipſe, rectè facis. Ego igitur, qui ab illuſtriſſimo Domino meo Cardinali* Ubaldino *facultatem accepi, perlegam.* Vel ex animo & reverentia hoc dixit, vel joco. Sin priùs, laudanda religio viri, ſin poſteriùs, placet, uti pejora ſæpiùs quibusdam ſunt veriſimilia, Scholaſticos luſit. *Scholaſticorum caterva*, inquit, *perplebeia apud me, licet ſenatoria apud alios.* † Sed his, me judice, non datum eſt aut Deum eripere, aut concedere, quicquid tentent, & in miſero VANINO videantur effeciſſe vitæ famæque latrones.

Quid non in ipſis tentarunt olim Imperatoribus, ſi dictis eorum, utut abſonis & lucri cupidis, eſſent immorigeri?

O fœlix ſeculum! quo tantùm vulgo imperant, & à prudentioribus, VANINI Judicibus, cenſoriâ dignitate privantur. Quid?

* *Vanin. Dialog.* 28. *pag.* 171. *de Arcan. Nat.*
† *Vanin. Exerc.* 5. *pag.* 27. *Amphith.*

Quid? ſi irriſiſſet *Aquinatem?* quod *Biſſelius* magni inſtar urget; non ille Deus eſt, neque ergo VANINUS Atheus. Ut tamen VANINUM innocuum præſtem, & alterum loquacem, ipſius fiat verbis. *Fulgidiſſimum*, [de *Aquinate* inquit,] † *illuſtriſſimæ ſanctiſſimæque Dominicanæ Religionis ſydus*, Aquinas, *angelicus Doctor nuncupatus*, *imò & Doctorum Angelus*, *& Angelorum Doctor.* Si verò huic iniquior fuiſſet, non ex Atheïſmo, ſed ex odio, quod inter *Dominicanos* & *Franciſcanos* acerbè viget, fieri potuit. Ex poſteriore autem Societate eum fuiſſe conjicio, dum *Divum Franciſcum Patronum ſuum*, *apud Deum colendiſſimum* ‡ vocat.

Sed quiſnam fuerit ipſius Patronus? quem *rejecere Monachi*, urgent *Gramondus* & *Merſennus.* Graves viri ſunt; *aſperum cultum*, *tonſum caput*, *& negligentiorem barbam*, *& indictum argento odium*, *& cubile humi poſitum* affectant. ⊥ Ignoſcite verò, Viri optimi, qui in eo ordine hominum vivitis; ignoſcite, quæſo, quòd veritatis amore vos ipſos teſtes compellem, & quòd vivis coloribus ſcorias illas Ordinis veſtri, (multùm enim diſtant æra lupinis) pondera inutilia terræ, depingam. Noviſtis RATIO XVII.

G 4 vos,

* *Biſſel. Septenn.* 111. *Rerum ætat. noſtr. geſtar.*

† *Vanin. Dial.* 55. *pag.* 412. *de Arc. Natur.*

‡ *Vanin. Exercit.* 8. *pag.* 67. *Amphithatr.*

⊥ *Senec. Epiſt.* 5.

vos, vos appello, *Zoïli* cani, Rhetorici effigiem: barbam ſubmiſſam alebat, caput uſque ad cutem radebat, pallium infra genua pendebat; ſtudioſus malè loquendi, ſerendis litibus operam ſedulò dabat. * Facilè hæc ſigna invenietis in quibuſdam veſtrûm,

Qui Curios ſimulant, & Bachanalia vivunt. †

Deam *Lavernam* multis cum *Horatio* invocant: ‡

Pulchra Laverna,
Da mihi fallere: da juſtum ſanctumque videri.
Noctem peccatis & fraudibus obtege nubem.

Jam dum Vaninum & Monachum fuiſſe dixero, hoc unum ei primum fuit malorum. Ibi non ſolùm vitiorum fomes incendi, verùm novis illiciis augeri ſemper potuit. Catalogum vitiorum eorum olim dedit *Stephanus* ⊥, mille exemplis augendum. Furientem hominum in eo ſpecta libidinem, cujus & Vaninus inſimulatur apud *Gramondum*. Sed ſi quid eſt, quod eam refringit arcetque, paupertas eſt Vanini pediſſequa. Paupertas, dolor, cura-

* *Ælian. lib.* XI. *cap.* 10. *Var. Hiſtor.*
† *Juvenalis, Satyr.* 2. *v.* 3.
‡ *Horat. lib.* 1. *Epiſt.* 16.
⊥ *Dans un Livre de la Conformité des merveilles anciennes & modernes*, in 8.

curarum moles, anguſtiæ, longæ peregrinationes, carceres, & vegetum hominem aſello reddunt ſtolidiorem. Qui, licet ludicrum quid in ſermone injiciat, ut pruriente dicto leviter titillet aurem, miſeriæ ſuæ cogitationibus ſatis coërcetur. Quòd ſi

* *Natura vires non dedit tantas tibi;*
Dolor, ira, mœror, miſeriæ, luctus dabunt.

VANINUS, cui tanta incubuit miſeriarum moles, tutiores nos eſſe ſinit me herculè, quàm illi Fratres, qui non malè coram lecto prurientis fœminæ ſolenne *Ave Maria* dicunt. Intereà flammulas illas *Veneris* jam flammis ultricibus extinctas gaudent. Negare non potero, certo certius: *Miſerum conſumſit ignis*; periit: ſed an juſtè perierit, hactenus quæſitum eſt. RATIO XVIII. Longâ ſerie quid in eo damnent, quidve accuſent, vidimus; quæ ſi nec Atheïſmi devicerunt, nec inflicta pœna, quam omnes urgent, Atheum faciet.

Turba tremens ſequitur fortunam, ut ſemper, & odit
Damnatos. †

Cui verò nec trigeminæ papalis coronæ faſtigium faſcinavit oculos, nec veritati fucum fieri patienter ſinit, quot exemplis ini-

* *Senec. Tragœdus.*
† *Juvenal. Sat.* 10.

iniquitatem pœnæ comprobare valet? Non antiqua loquor: *Virgilium* * Epiſcopum ob Antipodes olim damnatum; nec nova magis *Galilæum Galilæi*, Mathematicum inſignem, ob aſſertum motum terræ ſolemque centrum eſſe Univerſi, rogo deſtinatum. Nam numerus delaſſare valet *Fabium* loquacem. Garrula fama, levis ſuſurrus, leviſſima ſomnia atro carbone notant. Tum

Facilis deſcenſus Averno;
Noctes atque dies, patet atri janua Ditis;
Sed revocare gradum ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor. †

EPILOGUS. Jam ſiſto gradum, cùm impune ulteriùs progredi non liceat, qui omnem patientiam *veſtrûm* longâ faſtidioſâque oratione provocarim. Et vereor, ne eam redigerem ad incitas, ſi pergerem dicere quod profectò nollem. Binis tantùm verbis ut reſpondeam.

I. Capitis horriſonæ accuſationis nervus erat, *Ignorabat Deum:* quia ultra mentis captum non proſiluit.

II.

* *Aventinus in Annal. Boj. affirmat; Merſennus ad Geneſ. negat. Aventinum defendit* Bayle *in Dict. critic.*

† *Virgil. lib. 6. Æneïd.*

II. *Librum nefandum* de Tribus Impoſtoribus *in vitam revocavit*; nomine magis quàm re notum.

III. *Atheorum dicta retulit*; notata ut caveas.

IV. *Leviter iis reſpondit*: quòd nova quærenti antiqua ſatis nota viderentur.

V. *Chriſti humanitatem execrabatur.* Rumore vulgi; calumniâ Adverſariorum.

VI. *Virginem Mariam dicebat iniiſſe virum*; quæ ſunt fabulæ nugæque.

VII. *Naturam habuit Deam*: nam & digni viri *Dii* dicti ſunt.

VIII. *De Angelis differentes Scholaſticos reprehendit*: dum alia ex aliis retulit.

IX. *De Dæmonum natura naturales poſcit rationes*: quod vulgari ſententiæ non levis ſubſit ſuperſtitio.

X. *Immortalitatem Animæ negavit*: nullo in loco.

XI. *Fuit Aſtrologus*: lepidè; ergo Atheus.

XII. *Negavit mundi conflagrationem*: ſuo modo.

XIII. *Aſſeruit Fatum:* Providentiam Divinam.

XIV. *Literas in cœlo fingit:* ſuperſtitiosè.

XV. Cardanum & Haly *delirantes non impugnat*; quia jam fecerat.

XVI. *Irriſit ſacra*; quæ non ſacra erant.

XVII. *Rejecere Monachi:* quaſi ita rejiceretur è Cœlo.

XVIII. *Damnatus tamen:* ut multi innocentes.

Tuum jam erit, VIR AMPLISSIME, judicium inſtituere, meque, ut opto, erudire. Multa protuli; aſt, ſi rectè perpendas, minùs adhuc dixi. Innocentiam, quam defendere ſuſceperam, properante ſtylo vindicavi; qui hæc tantùm, ut veritati ſuus conſtet honos;

D I X I.

60